AUTHOR: TSCHIEDEL, JOHANN

TITLE: QUAESTIONES AESCHINEAE ....

PLACE: BEROLINI

DATE: 1887

Master Negative #

91-80264-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books      FUL/BIB   NYCG91-B56030          Acquisitions     NYCG-NEH
PN TSCHIEDEL, JOHANNES AND TW QUAESTIONES - Cluster 1 of 1 - Record added today
+
 ID:NYCG91-B56030    RTYP:a     ST:p    FRN:      MS:        EL:u
 CC:9665  BLT:am      DCF:      CSC:d   MOD:      SNR:       ATC:       AD:06-05-91
 CP:nyu     L:lat     INT:      GPC:    BIO:      FIC:0      CON:       UD:06-05-91
 PC:r      PD:1991/1887         REP:    CPI:0     FSI:0      ILC:
 MMD:       OR:     POL:     DM:     RR:          COL:       EML:       MEI:1   II:0
 040      NNC‡cNNC                                                      GEN:    BSE:
 100 10   Tschiedel, Johann.
 245 10   Quaestiones Aeschineae de verborum insiticiorum quodam genere‡h[microf
        orm].‡c[Scripsit] Johannes Tschiedel.
 260 0    Berolini,‡bTypis Trowitzschiorum,‡c1887.
 300      56 p.‡c22 cm.
 502      Inaugural-Dissertation--Universitas Friderica Guilelma, 1887.
 600 00   Aeschines‡xLanguage.
 LDG      RLIN
 QD       06-05-91
```

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 9-17-91   INITIALS M.D.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202





Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONES AESCHINEAE.

DE VERBORUM INSITICIORUM QUODAM GENERE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XXI M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOHANNES TSCHIEDEL

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

M. RANNOW, DR. PHIL.
A. MEYER, DR. PHIL.
R. ULLRICH, STUD. PHIL.

BEROLINI 1887.

TYPIS TROWITZSCHIORUM.

Adolfo Kirchhoffio

Johanni Vahleno

S.

Multifariam de interpolationibus, quas in Aeschinis orationibus, praecipue in Ctesiphontea, investigasse sibi visi sunt, viri docti scripserunt. iidemque interpretamentis miserrimis inquinata esse oratoris verba genuina [1]) quamquam unanimiter sentiunt, tamen et in singulis in diversas partes discedunt, ut alii alia verba pro insiticiis habeant, neque hanc emendandi rationem adhibentes sibi ipsis constant. immo forti remedio ita utuntur ut coniectandi magis libidine quam intellegendi studio ducti videantur. unde accidisse ut oratorem potius quam interpolatorem aggrederentur ideoque magnam potius nostri scriptoris cladem facerent [2]) quam veram salutem afferrent [3]), vix quisquam mirabitur. in eo vero imprimis peccasse videntur, quod et de Aeschinis more proprio nimis securi fuerunt neque oratoris sententias aut consilia ea qua opus est circumspectione et accurata consideratione perpensitaverunt. quod ex parte si dis placebit probabo. sed hanc de interpretamentis quaestionem si recte instituere volumus, inter eos locos discrimen faciamus necesse est ubi codices discrepant et eos quibus omnes libri manuscripti eadem verba exhibent. et dissensu quidem librorum, sive ei eorundem verborum diversum ordinem exhibuerunt, sive alii alia verba tradiderunt, inter se tamen similia et synonyma, Weidner praecipue talibus locis verba insiticia in

---

[1]) cf. Halm Act. ac. Bav. 1875, 12 n. 12: „so viele glosseme, auf die in letzter zeit förmlich jagd gemacht wurde, man auch aus dem text des Aeschines mit dem alten Hieron. Wolf und seit Taylor entfernt hat, so ist doch noch eine kleine nachlese verblieben“. —

[2]) cf. Vahlen: Aristot. poet. ed., p. 199. —

[3]) ut valeant adhuc quae a. 1866 dixit Dahms in Jahn. annall. vol. 93, p. 221: „Die klage, die F. Franke in seiner ausgabe der Timarchea s. XXI aussprach, dass die erklärung des Aeschines fast noch nötiger sei als die emendation, ist auch heute noch begründet.“ —

genuinam orationem irrepsisse adductus est. cui emendandi rationi quid esset tribuendum, iam alii viri docti edocuerunt, veluti Baeker [1]) et Rosenberg [2]). sed quibus locis in omnibus codicibus eadem leguntur, his interpolatorum sedulitate oratoris verba saepe depravata esse quo iure viri docti statuerint, cum peculiari disputatione nemo adhuc quantum scio perscrutatus sit, per hunc libellum accuratius persequi mihi in animo est. sed ne cuius spem fallam neve plura videar promittere quam praestabo, id ago hac commentatiuncula, non ut totum hoc genus per tres quae supersunt orationes percurram, sed ut partem parvam illam quidem sed longe gravissimam absolvam. dicam enim de Ctesiphonteae eis locis, quibus veram oratoris sententiam a sciolo nescio quo depravatam atque perturbatam recte restituisse viri docti sibi visi sunt eam emendandi rationem secuti, ut ea verba eicerent, quibus difficultates inhaerebant. — huius vero quaestionis a me quam accuratissime institutae spero fructum eum fore, ut ubique oratoris et morem et consilium intellegamus atque penitus cognoscamus. —

Atque disserendi initium capiam a § 25, quae quid valeat si recte perspexerimus, de magistratus quoque eius, qui *ὁ ἐπὶ τῷ θεωρικῷ ἄρχων* appellatur, officiis rectius iudicium facere licebit. in codicibus autem omnibus exarata sunt haec verba: ***Πρότερον*** (*πρῶτον* B) *μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* (om. A), *ἀντιγραφεὺς ἦν χειροτονητὸς τῇ πόλει, ὃς καθ' ἑκάστην πρυτανείαν ἀπελογίζετο τὰς προσόδους τῷ δήμῳ· διὰ δὲ τὴν πρὸς* ***Εὔβουλον*** *γενομένην πίστιν ὑμῖν οἱ ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένοι ἦρχον μέν, πρὶν τὸν* ***Ἡγήμονος*** *νόμον γενέσθαι, τὴν τοῦ ἀντιγραφέως* (*γραφέως* A) *ἀρχήν, ἦρχον δὲ τὴν τῶν ἀποδεκτῶν καὶ νεωρίων ἀρχὴν καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν, ἦσαν δὲ καὶ κτλ.*. neque sine causa verba

[1]) „De interpolationibus orationis Aesch. contra Timarch. habitae" diss. Gryphisw. Berol. 1875. —

[2]) „Zur kritik von Aeschines Ctesiphontea." progr. gymnas. Hirschberg. Lipsiae 1878; cf. Blass, Bursians jahresberichte 1880, p. 206. —

quae sunt *τὴν τῶν ἀποδεκτῶν καὶ νεωρίων ἀρχήν* moras creaverunt viris doctis — praeter F. Schultzium editorem, qui verba quae in textu reciperet digna putavit —, quippe quae in probabilem orationem coire non viderentur. intolerabili enim ratione nomen abstractum cum concreto consociatur. quod cave ne talibus exemplis Aeschineis defendas: Tim. §§ 23 *καὶ κήρυξι καὶ πρεσβείαις*, 42 *ὀψοφαγίαις καὶ πολυτελείαις δείπνων καὶ αὐλητρίσι καὶ ἑταίραις καὶ κύβοις καὶ τοῖς ἄλλοις, ὑφ' ὧν οὐδενὸς κρατεῖται τὸ γενναῖον καὶ τὸ ἐλευθέριον*, Ctes. §§ 58 *διὰ Δημοσθένην καὶ* ***Φιλοκράτην*** *καὶ τὰς τούτων δωροδοκίας, ἃς ἐδωροδόκουν*, 197 *ἐγχεῖται γὰρ τὸ μὲν πρῶτον ὕδωρ τῷ κατηγόρῳ καὶ τοῖς νόμοις καὶ τῇ δημοκρατίᾳ*. nam rem his exemplis non convenire cum nostro loco inde sequitur, quod, cum illic facili neglegentia singula nomina conjungantur, hic uterque genetivus et *ἀποδεκτῶν* et *νεωρίων* arte pendet ab *ἀρχή*, sic ut alter subiecti vicibus, obiecti alter fungatur. atque quod duo munera discernuntur, impedit quominus hanc insolitam dicendi rationem exemplis talibus excusemus: Xen. Anab. VI 1, 1 ***Ὃν*** *μὲν οὖν τρόπον ἥ τε* ***Χειρισόφου*** *ἀρχὴ τοῦ παντὸς κατελύθη . . . ἐν τοῖς ἐπάνω εἴρηται*, i. e. Cheirisophi de omnibus imperium; vel Thuc. III 115, 4 *ὁ δὲ* ***Πυθόδωρος*** *ἤδη ἔχων τὴν τοῦ* ***Λάχητος*** *τῶν νεῶν ἀρχήν, ἔπλευσε* (cf. Krueg. gr. gr. I § 47, 9, 6). accedit nova difficultas inde, quod articulo ante *νεωρίων* omisso haec duo munera diversissima quasi in unum maius colligi vel inter se artius quam cum ceteris cohaerere videntur. id quod rei naturae repugnat. nam d u o sunt munera diversissima. itaque integra scriptoris verba codicibus servata esse nemini opinor persuadebitur. inde ut probabilem orationis formam restituerent, viri docti variis usi conaminibus temptaverunt. — atque Henricus quidem Stephanus (thes. linguae gr. s. v. *νεώριον*), cum mutato nomine *νεωρίων* in *νεωρῶν* (a *νεωρός = νεωριοφύλαξ*, cf. Hesych.) difficultates amovere studuit, speciosa ille quidem correctione usus est, sed

oratoris verba non recuperavit, si quidem inscriptionum navalium testimonio constat illos magistratus tunc temporis Athenis non *νεωρούς* sed aut *τοὺς τῶν νεωρίων ἐπιμελητὰς* aut *τοὺς ἐν τοῖς νεωρίοις ἄρχοντας* (*ἄρξαντας*) appellatos fuisse[1]. hoc quoque velim respiciatur uno certo titulo hunc magistratum, ne recentiore quidem aetate, non designari, id quod ex inscr. XVI anno 323/22 ascripta elucet. — Andreas autem Weidner (comm. ed. Ctes. Lips. ad h. l.) scholiastae verbis hisce *τὰ σκεύη ἀποδέχεσθαι, τὰ νεώρια ἐφορᾶν, τὰς ὁδοὺς ποιεῖν ἐκ τῶν χρημάτων ἀναλίσκοντας* verbum excidisse adductus, cum *ἐφορᾶν* „ab hac significatione alienam“ iudicaret, correctione nimis violenta parumque probabili oratoris verba in hunc modum correxit: *ἦρχον δὲ τὴν τῶν ἀποδεκτῶν, καὶ νεωρίων τ' ἐπεμέλοντο καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν.* omitto scholiastae in rebus ad Atheniensium rem publicam gerendam pertinentibus non magnam fidem esse: id quod ex confusa eius de prytanibus narratione colligitur. sed quod gravius est, ex scholiastae testimonio iudicium petere de accurata orationis forma minime licet eam ob causam, quod hic apodectae quibus officiis fungi soleant, enumerat, minime vero ipsa oratoris verba commentando illustrat[2]. id quod elucet ex verbis his *τὰ σκεύη ἀποδέχεσθαι* et *τὰς λειτουργίας ἀποδέχεσθαι.* quid quod navalia, quae iam extant, non sunt dicenda *νεώρια* sed *τὰ νεώρια* (cf. Kaibel Herm. 17, 409). denique ut hanc coniecturam

---

[1]) Boeckh „Attische seeurkunden“ p. 51, 52; vide inscr. I a lemma (*οἱ ἄρχοντες*) *ἐν*] *τοῖς νεωρίοις*, inscr. XVI 6 (a. 323/22) v. 139 *ἐὰν δὲ οἱ τῶν νεωρίων ἄρχοντες . . . μὴ ἀναγράψωσιν*, inscr. X c (usque ad a. 342/41) v. 145 *Ἀμυθέων Εὐωνυμεύς, νεωρίων ἐπιμελητὴς γενόμενος*, XI b (a. 330/29) v. 35 *καὶ ὃ παρελάβομεν παρὰ νεωρίων ἐπιμελητῶν*, XIII c (a. 326/25) sub signo (h) post v. 110 [*νεωρίω*]*ν ἐπιμελητῶ*[*ν*] et [*νεω*]*ρίων ἐπιμελη*[*ταῖς*]. —

[2]) ex altera parte, si liceret, id quod nego, Weidner non debebat satis habere hoc unum verbum ex scholiasta inseruisse in oratoris textum: immo quae responderent verbis *τὰς λειτουργίας ἢ τὰ σκεύη ἀποδέχεσθαι*, item erant inserenda. —

refutem, me ratio movet ea, quod res ipsa quae inde nascitur non ita probabilis videtur: namque *ἄρχοντας ἐπὶ τῷ θεωρικῷ* simul fuisse *ἀντιγραφέας* et *ἀποδέκτας* et *νεωρίων ἐπιμελητάς* efficitur. quid? licetne animo fingere scaenicis pecuniis praefectos tot tantisque tamque gravibus muneribus una functos esse? nonne haec humanum modum superare videntur? denique casu putamus accidisse, quod haec officiorum cumulatio a nemine commemoratur[1]? non opinamur. neque vero hoc amplificandi studio excusatur, quod sane multum est in Aeschine et oratori facile condonatur. verbis enim nudis *ἦρχον μὲν τὴν τοῦ ἀντιγραφέως ἀρχήν, ἦρχον δὲ τὴν τῶν ἀποδεκτῶν καὶ νεωρίων τ' ἐπεμέλοντο* verum inest aut falsum, tertium cogitari nequit. — sed contrariam viam ingressus Dobree („Notae ad Aeschinem“ Adverss. ed. Wagner I p. 338) altero *ἀρχήν* quasi insiticio deleto pro *νεωρίων* scribit *νεώριον*, ut quae restant in hanc orationem coeant, primo aspectu haud improbabilem: *οἱ ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένοι ἦρχον μὲν . . . τὴν τοῦ ἀντιγραφέως ἀρχήν, ἦρχον δὲ τὴν τῶν ἀποδεκτῶν, καὶ νεώριον καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν.* proxime abest ab hac correctione Kaibel, cum (l. l. p. 409) *νεώρια* scribi iubet. ac posito ut Dobree veram oratoris manum assecutus sit, causa corruptelae (cf. Kaibel l. l. p. 409 sq.) in propatulo est. at, Weidner inquit (com. ed. Lips. ad h. l.), Dobraeum fugit quod „hac ratione et sententiae parum aptae videntur et pro *νεώριον* utique *νεωσοίκους* scribendum fuit ad constantem oratorum usum. nam *νεώρια* et *νεώριον* et *νεωσοίκους* eandem prorsus vim et significationem habere equidem mihi adhuc persuadere non potui.“ atque aliquid

---

[1]) Harpocratio s. v. *θεωρικά* p. 96 sq. Bekk. respicit nostrum locum: *ἦν δὲ ἀρχή τις ἐπὶ τοῦ θεωρικοῦ ὡς Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος.* apud Pollucem vero (10, 10) haec leguntur: *καὶ παρ' Αἰσχίνῃ ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος· σκευοθήκην ᾠκοδόμουν*, de quo loco v. infra p. 11. cf. Georgius Klinke „Quaestiones Aeschineae criticae“ diss. Gryph. Lips. 1887 p. 22; hunc libellum mihi per Dielsii benignitatem licuit inspicere.

veri inest in eo, quod vir doctus dicit, tamen quod evincere studet non efficit. libenter enim concedo *νεώριον* vocabulo oratores plerisque locis comprendere tota navalia cum omnibus *σκευοθήκαις* et *νεωσοίκοις*. cf. Dem. XXXIV 37, XVIII 132, XIX 60; Hyper. II fr. 2 p. 23 Blass., fr. 181 a, Lys. XIII 46, Din. I 95, III 1, III 9, III 13; Thuc. II 93, Xen. Anab. VII 1 27. sed quid quaeso inde sequitur, siquidem inscriptionibus navalibus eiusdem aetatis constat huius vocis notionem variam fuisse in ipsis reipublicae documentis nedum in cotidianae vitae sermone? velim enim respicias, quod gravissimum est, *νεώριον* appellari circuitum *νεωσοίκων* exceptis sceuothecis, velut in hac inscriptione (Boeckh IV a — a. 357—55 —) *[Ἀ]ριθμὸς σκευῶν ξυλί[νων] καὶ κρεμαστῶν [ὧν] ἐν τοῖς νεωρίοις [καὶ] ἐν τῇ σκευοθήκῃ [κατ]ελάβομεν*. vides ergo *νεώρια* et *σκευοθήκην* eo ni fallor significationum discrimine consociari, quod lex. rhet. (cf. Boeckh l. l. p. 66) his verbis statuit: *νεώσοικοι· καταγώγια ἐπὶ τῆς θαλάττης ᾠκοδομημένα εἰς ὑποδοχὴν τῶν νεῶν ὅτε μὴ θαλαττεύουσιν. τὰ νεώρια δὲ ἡ τῶν ὅλων* (sc. *νεωσοίκων*) *περιβολή*. neque aliter Harpocratio iudicavit, qui *νεώριον* (s. v.) quid sit explicans Andocidis locum laudat (III 7), ubi tamen nonnisi haec leguntur: *νεωσοίκους τε ᾠκοδομησάμεθα*. in eiusdem deinde inscriptionis, quam modo commemoravi, v. 5 leguntur talia *[Ἀ]ριθμὸς τριήρων ὧν [ἐν] τοῖς νεωρίοις ἀν[ειλ]κυσμένων κατελάβομεν καὶ τῶν ὑπαιθρί[ω]ν καὶ τῶν ἐκπλευ[κυ]ῶν παραδο[θ]εισῶν* HH|Δ|ΔΔΔIII: triremes in eas discernuntur quae in navalibus sunt, et eas, quae in mari versantur, priores vero in navalibus positae bipartiuntur, quoniam pars in *νεωρίοις* i. e. *νεωσοίκοις*, pars sub divo aliquo navalium loco iacere dicitur. oratorum quoque exempla conferri possunt. v. Hyper. fr. 121 et Dem. XIV 22. quin *νεώριον* vocabulum etiam in notionem vocis *σκευοθήκη* abiisse exempla docent: inscr. naval. II 72 *ταύτης τὰ πηδάλια ἐν τῷ νεωρίῳ ἐστὶν τ[ῷ ἐν] Μουνυχίασιν*, II 86 *ταύτης ἐστὶν ἐν τῷ νεωρίῳ πηδάλια*, X c 135 *ἀπο-*

λαβὼν κώπας παρ' ἡμῶν ἐκ τοῦ νεωρίου τῶν παραδοθεισῶν ὧν αὐτὸς εἰσήνεγκεν ἀδοκίμους χιλίας ὀκτακοσίας. cf. [Dem.] XLVII 20, Dem. L 36. hac occasione usus pauca adicio de *νεωσοίκων* et *σκευοθήκης* significationibus. atque illi quidem, „schiffsschuppen“ ut nos dicimus, naves una cum instrumentis ligneis continebant[1]); in hac vero, quam nos appellamus „seezeughaus“, instrumenta navium pendentia servabantur.[2]) duas magnas praeclarasque sceuothecas fuisse Boeckhii, viri eximii, opera compertum est, antiquiorem aliquam et Philoneam, de quibus infra (p. 12) accuratius dicam. quibus expositis lucis aliquid nostro loco allatum esse spero, ut quam iniuste Weidner offenderit in verbis *καὶ νεώριον καὶ σκευοθήκην* consociatis appareat: *νεώριον* enim nihil aliud est quam *νεωσοίκων* circuitus. ex hac parte Dobraei coniectura, quam simplicitas commendat, valde arridet. ac ne quis Pollucis verba supra (p. 9 n. 1) laudata obiciat, quasi hic unum tantum accusativum (*σκευοθήκην*) ab *ᾠκοδόμουν* pendere testetur, obstaculo est quod Polluci, cum toto hoc capite ageret de *σκευοθήκῃ* vocabulo, ex Aeschineo exemplo verba *σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* attulisse satis esse poterat: omisit inutilem alterum accusativum pro suo scriptores laudandi more. cf. exempla ex Aeschine ipso excerpta: Poll. II 82. 126; VI 37; III 35. 146. iam quaestio de re ipsa oritur. nam nisi officia theorico praefectorum ad humanarum virium modum rediguntur, ne hanc Dobraei quidem coniecturam omnes verisimilitudinis numeros explere iudicabimus. ac primum inquiramus quo verba *καὶ νεώριον καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* pertineant. et Philochorus quidem (fr. 135, cf. Weidneri comm. ad Aesch. III 25) verbis hisce *Λυσιμαχίδης Ἀχαρνεύς* (339/338)· *ἐπὶ τούτου τὰ μὲν ἔργα*

[1]) cf. lex. rhet. l. l. (Boeckh p. 66); inscr. naval. IV d 25, IX c 5, 30, Harp. l. l., Hesych. s. v., Suid. s. v. (narrationem hic hausit ex Herod. III 45). —

[2]) cf. lex. rhet. (Bekk. anecdd. I 303; Boeckh l. l. p. 68); Phot. p. 383 (Boeckh l. l. p. 68). —

τὰ περὶ τοὺς νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον πρὸς Φίλιππον, τὰ δὲ χρήματα πάντ' ἐψηφίσαντο εἶναι στρατιωτικὰ Δημοσθένους γράψαντος intellegit sceuothecam Philonis clarissimam; quae quidem, quoniam antiquior (quae e. c. inscr. naval. XI lit. m. iuste appellatur *ἡ ἀρχαία σκ.*: ol. 112, 3 = 330/29 a. C.) iam non sufficiebat, a. 347 aedificari coepta [1]) sed interrupta a. 339/338 aedificatione a Lycurgo demum perfecta est. cf. plebiscitum Vit. X oratt. p. 852 c et Hyper. fr. 121 supra laudatum. *σκευοθήκην* vero hanc et *νεωσοίκους* a. 330/29 = ol. 112, 3 perfecta fuisse (cf. Boeckh l. l. p. 68 sqq.) docent inscrr. nav. XI (= ol. 112, 3) sqq., quippe quibus omnibus numeri *νεωσοίκων* pares edantur, cum antea variaverit numerus. quod casu accidisse nemini credibile erit. quid amplius? dubitari nequit hanc sceuothecam et hoc neorion i. e. horum *νεωσοίκων* a Lycurgo perfectorum circuitum ab oratore intellegi. neque qui factum sit, ut omissis articulis (ante *νεώριον* et *σκευοθήκην*) orator rem notissimam quasi obscuris tenebris tegeret, difficile est intellectu: licuit sane oratori haec ipsa aedificia certo designare; quod vero licuit repudiavit consiliis opinor oratoriis adductus. nam ut ostendam quid discriminis intersit, verbis talibus *καὶ τὸ νεώριον καὶ τὴν σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* rerum scriptoris potius fides comparet, qui rem enarrat ut erat, his vero *νεώριον καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* oratoris natura conspicua est, qui eandem rem, ut utilitatem adoptatam habeat, non tam exponit accurate quam amplificandi studio atque augendi indulgens in sententiam deflectit universam: „ja sie stiegen so hoch in ihrer macht, dass sie sogar ein neorion und eine skeuothek bauten.“ hoc igitur cum minime careat explicatione, dubitatio oritur gravissima inde, quod theorici administrandi magistratus haec aedificia aedificasse haut ita probabile

[1]) cf. Fabricius „Die skeuothek des Philon, das zeughaus der attischen marine in Zea“ Hermes XVII 551. —

videtur. quamquam munera *τῶν ἐπὶ τῷ θεωρικῷ ἀρχόντων* et *ἀντιγραφέως* et *ἀποδεκτῶν* fuisse consociata, quippe quae ad pecunias administrandas publicas fuerint constituta omnia (cf. Harp. s. vv. *ἀντιγραφεύς* et *ἀποδέκτης*), nemini mirum videbitur: Eubuli ergo auctoritate magistratibus scaenicis pecuniis praefectis munus fere totius reipublicae pecunias administrandi mandatum erat. sed quid quaeso talibus magistratibus commune intercedit cum architectis, ut horum quoque officia exsequi posse putentur? attamen verbis *καὶ νεώριον καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* [1]) omnis de hac re dubitatio exempta videtur, quamquam omnes praeter oratorem nostrum scriptores de re satis memorabili tacent. an fortasse ex hoc silentio concludere licet rem per se non esse memorabilem, sed ab oratore amplificari et augeri? age ingrediamur saltem hanc viam, quam eandem modo ingressi sumus, ut numquid probabile colligi possit videamus! episcopos navalium (*τοὺς τῶν νεωρίων ἐπιμελητάς*) pecunias, quas receperunt, numquam ipsos administrasse, sed fere tradidisse apodectis, i. e. propriis pecuniae publicae administrandae magistratibus, et postquam eorum munere theorico praefecti fungi coeperunt, certe his, cum compertum habeamus (cf. Boeckh l. l. p. 57), nullius publici negotii pecunias theorico praefectos non accepisse apparet. quae si reputamus, nonne verisimile fit hos eosdem magistratus pecunias, quae in haec aedificia navalia impenderentur, accepisse, administrasse, erogasse aedificatoribus? ut partem quandam in aedificando eos habuisse suo iure contendere Aeschini licuisset. sed qualem hunc oratorem fuisse putaremus, si verba talia effudisset: *οἰκοδομήσεως μετεῖχον*? immo ut sententiae recte progrediantur iustamque gradationem et vim habeant, iterum scriptor amplificat atque exornat. veritatis granum sane et inest et inesse debet, ne sequenti conclusioni omnes

[1]) et etiamsi quis dubitet de Dobraei correctione, tamen haec codicum verba *σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* stare tenendum est. —

τὰ περὶ τοὺς νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον πρὸς Φίλιππον, τὰ δὲ χρήματα πάντ᾽ ἐψηφίσαντο εἶναι στρατιωτικὰ Δημοσθένους γράψαντος intellegit sceuothecam Philonis clarissimam; quae quidem, quoniam antiquior (quae e. c. inscr. naval. XI lit. m. iuste appellatur *ἡ ἀρχαία σκ.*: ol. 112, 3 = 330/29 a. C.) iam non sufficiebat, a. 347 aedificari coepta [1]) sed interrupta a. 339/338 aedificatione a Lycurgo demum perfecta est. cf. plebiscitum Vit. X oratt. p. 852 c et Hyper. fr. 121 supra laudatum. *σκευοθήκην* vero hanc et *νεωσοίκους* a. 330/29 = ol. 112, 3 perfecta fuisse (cf. Boeckh l. l. p. 68 sqq.) docent inscrr. nav. XI (= ol. 112, 3) sqq., quippe quibus omnibus numeri *νεωσοίκων* pares edantur, cum antea variaverit numerus. quod casu accidisse nemini credibile erit. quid amplius? dubitari nequit hanc sceuothecam et hoc neorion i. e. horum *νεωσοίκων* a Lycurgo perfectorum circuitum ab oratore intellegi. neque qui factum sit, ut omissis articulis (ante *νεώριον* et *σκευοθήκην*) orator rem notissimam quasi obscuris tenebris tegeret, difficile est intellectu: licuit sane oratori haec ipsa aedificia certo designare; quod vero licuit repudiavit consiliis opinor oratoriis adductus. nam ut ostendam quid discriminis intersit, verbis talibus *καὶ τὸ νεώριον καὶ τὴν σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* rerum scriptoris potius fides comparet, qui rem enarrat ut erat, his vero *νεώριον καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* oratoris natura conspicua est, qui eandem rem, ut utilitatem adoptatam habeat, non tam exponit accurate quam amplificandi studio atque augendi indulgens in sententiam deflectit universam: „ja sie stiegen so hoch in ihrer macht, dass sie sogar ein neorion und eine skeuothek bauten.“ hoc igitur cum minime careat explicatione, dubitatio oritur gravissima inde, quod theorici administrandi magistratus haec aedificia aedificasse haut ita probabile

[1]) cf. Fabricius „Die skeuothek des Philon, das zeughaus der attischen marine in Zea“ Hermes XVII 551. —

videtur. quamquam munera *τῶν ἐπὶ τῷ θεωρικῷ ἀρχόντων* et *ἀντιγραφέως* et *ἀποδεκτῶν* fuisse consociata, quippe quae ad pecunias administrandas publicas fuerint constituta omnia (cf. Harp. s. vv. *ἀντιγραφεύς* et *ἀποδέκτης*), nemini mirum videbitur: Eubuli ergo auctoritate magistratibus scaenicis pecuniis praefectis munus fere totius reipublicae pecunias administrandi mandatum erat. sed quid quaeso talibus magistratibus commune intercedit cum architectis, ut horum quoque officia exsequi posse putentur? attamen verbis *καὶ νεώριον καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* [1]) omnis de hac re dubitatio exempta videtur, quamquam omnes praeter oratorem nostrum scriptores de re satis memorabili tacent. an fortasse ex hoc silentio concludere licet rem per se non esse memorabilem, sed ab oratore amplificari et augeri? age ingrediamur saltem hanc viam, quam eandem modo ingressi sumus, ut numquid probabile colligi possit videamus! episcopos navalium (*τοὺς τῶν νεωρίων ἐπιμελητάς*) pecunias, quas receperunt, numquam ipsos administrasse, sed fere tradidisse apodectis, i. e. propriis pecuniae publicae administrandae magistratibus, et postquam eorum munere theorico praefecti fungi coeperunt, certe **his**, cum compertum habeamus (cf. Boeckh l. l. p. 57), nullius publici negotii pecunias theorico praefectos non accepisse apparet. quae si reputamus, nonne verisimile fit hos eosdem magistratus pecunias, quae in haec aedificia navalia impenderentur, accepisse, administrasse, erogasse aedificatoribus? ut partem quandam in aedificando eos habuisse suo iure contendere Aeschini licuisset. sed qualem hunc oratorem fuisse putaremus, si verba talia effudisset: *οἰκοδομήσεως μετεῖχον*? immo ut sententiae recte progrediantur iustamque gradationem et vim habeant, iterum scriptor amplificat atque exornat. veritatis granum sane et inest et inesse debet, ne sequenti conclusioni omnes

[1]) et etiamsi quis dubitet de Dobraei correctione, tamen haec codicum verba *σκευοθήκην ᾠκοδόμουν* stare tenendum est. —

nervi oratorii persecentur, quod tamen verborum exornantium palea (ut ita dicam) paene obruitur. quod idem cadit in id, quod ex hac tota argumentatione orator efficere studet: *ἐκεῖνο ὑμῖν ἐνδείξασθαι βούλομαι ὅτι ... Κτησιφῶν Δημοσθένην τὸν συλλήβδην ἁπάσας τὰς Ἀθήνησιν ἀρχὰς ἄρχοντα οὐκ ὤκνησε γράψαι στεφανῶσαι*[1]). quae si recte exposui, non est cur a Dobraei coniectura recedamus, qua verbum ex dittographia interpolatum resecatur et probabilis et oratio et sententia restituitur. — iam satis. duplicem vero quaestionis huius fructum cepisse mihi videor. non enim solum theorico praefectorum negotia nimis gravia aliqua ex parte me allevavisse confido, sed luculentissimo etiam hoc exemplo argumentationem auspicatus sum de proprio quodam Aeschinis oratoris more, quo, ut carpat maledico dente adversarium, amplificare orationem et augere solet. hanc vero consuetudinem inimicissimum Demosthenem perstringendi occasione sive oblata sive arrepta viri docti cum adhuc non satis respexerint, saepe perperam — nam late patet in Ctesiphontea haec consuetudo — offenderunt in verbis me iudice genuinis. hoc autem utilius mihi visum est et praestabilius, quae primo obtutu mire dicta videntur, num fortasse propriae scriptoris naturae condonentur, accurata diligentia perscrutari, quam si quid obiter iudicantibus nobis displicere possit, quantocius furca expellere. sed videamus singula. —

Prooemio absoluto (1—8) cum argumentationis initio inde a § 9 disserat de rationis reddendae lege et de causis, quibus ut hanc legem daret, legislator commotus sit, § 10 orator hanc iniit ratiocinationem: multi ex eis, qui ratione nondum reddita erant coronati, *ἐπ' αὐτοφώρῳ*, i. e. *ἐν εὐθύναις*, peculatus convicti erant; poena tamen liberati sunt (*διεφύγγανον*), *ᾐσχύ-*

[1]) facile igitur adstipuleris eis, quae Halm l. l. p. 3 ponit: „von der ersten behörde — theorico praefectis — behauptet Aeschines in offenbar sehr starker übertreibung, dass sie vor dem gesetz des Hegemon fast die ganze staatsverwaltung in händen gehabt habe.“ —

νοντο γὰρ, οἶμαι, οἱ δικασταὶ, εἰ φανήσεται αυτος ἀνὴρ ἐν τῇ αὐτῇ πόλει, τυχὸν δὲ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ, πρῴην μέν ποτε ἀναγορευόμενος ἐν τοῖς ἀγῶσιν, ὅτι στεφανοῦται ἀρετῆς ἕνεκα καὶ δικαιοσύνης ὑπὸ τοῦ δήμου χρυσῷ στεφάνῳ, ὁ δὲ αὐτὸς ἀνὴρ μικρὸν ἐπισχὼν ἔξεισιν ἐκ τοῦ δικαστηρίου κλοπῆς ἕνεκα τὰς εὐθύνας ὠφληκώς. exponit orator, quibus causis ut homines noxios absolverent, iudices adducti esse sibi videantur (*οἶμαι*). puderet enim eos — orator inquit — si homo antea a populo coronatus postea peculatus convictus atque condemnatus ex iudicio exiturus esset. hoc est: iudices commovebantur talia iudicia ut ferrent, non quod cuius eos pudere debebat iam factum erat, sed ne quando tale quid accideret. hoc ita esse futura tempora *φανήσεται* et *ἔξεισιν* (= fut.) docent. imperfecto ergo *ᾐσχύνοντο* non designari patet iudices profecto olim puduisse, sed fore ut eos revera tum pudeat (‘sie würden sich schämen’. cuius dicendi generis exempla non desunt: Xen. Anab. VII 6, 21; Aeschin. III 147), si acciderit — quidnam? ut idem homo antea coronaretur a populo, deinde vero in iudicio fraudis convinceretur et id quod gravissimum est, condemnaretur. ne igitur adversis frontibus plebiscitum et iudicium inter se pugnent ideoque ignominia populus totus afficiatur, iudices non criminis sed publicae ignominiae rationem habere coguntur. quae si recte enarravi, sententias apte progredi in propatulo est. nec minus pulcre iudicium et plebiscitum inter se comparata videntur et opposita. talia enim contraria habes: *στεφανοῦται χρυσῷ στεφάνῳ* et *τὰς εὐθύνας ὠφληκώς*, *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ δικαιοσύνης* et *κλοπῆς ἕνεκα*, ut quae acrius inter se pugnent cogitari nequeant. locorum porro discrimine indicato *φανήσεται ἀναγορευόμενος ἐν τῷ θεάτρῳ* et *ἔξεισιν ἐκ τοῦ δικαστηρίου* haec oppositio adeo augetur. sed cum illud *ἀναγορευόμενος ἐν τῷ θεάτρῳ* quid valeret, obscurum esse omnino nequiret, hoc *ἔξεισιν ἐκ τοῦ δικαστηρίου* miram interpretationem passum est. Weidner (com. Lips. ad h. l.) enim hoc: „homo publice

nuper a populo laudatus idem paulo post superbo ore ac triumphans ex iudicio exit.“ sed ubi tandem orator tale quid „superbo ore ac triumphans“ profert? extrinsecus Weidner perperam infercit, quod verbis non inest quodque sententiam perturbat. an putas iudices noxios liberasse, quod eos puderet, si is, qui antea coronatus esset a populo, postea quamquam condemnatus triumpharetur? imo aliter res se habet. verbis *ἔξεισιν ἐκ τοῦ δικαστηρίου* sua propria vis est, id quod iam inde elucet, quod scripto rorationem adiectis verbis interrumpi quam omissis recte fluere maluit; oppositionem enim augent, quoniam tum demum — Aeschine iudice — cum ille, ut condemnatus, ex iudicio exit, i. e. cum condemnatio non minus pervolgatur, quam coronatio, ignominia iusta populo oritur. quae cum eo gravior sit, quo maior fuerat honos noxio tributus, aptissime per se tale quid opponi: *ἀναγορευόμενος ἐν τῷ θεότρῳ* intellegitur: honos est publicus, publica eiusdem hominis condemnatio. at, inquit Weidner (com. ed. Lips. ad h. l.), „si qua fides Aeschini (§ 32 sqq.), in theatro — hoc enim significaret *ἐν τοῖς ἀγῶσιν* — per leges ne licebat quidem renuntiationem honoris fieri. ac si statuas hoc ita licitum fuisse, ut Dem. de cor. § 120 confirmatur, hoc parum credibile est Aeschinem adeo stolidum fuisse, ut suam rationem accusandi ipse subverterit. nam hoc certe fecisset, etiamsi non legitimam illam, at volgarem tamen consuetudinem indicaret.“ Weidner propterea facere non potest, quin Dobraeo (l. l. p. 336) auctore deleat verba quasi insiticia. sed ne „volgarem consuetudinem“ quidem, ita ut subvertat suam accusandi rationem, orator indicat, quoniam non de eo agit, quod accidit, sed quod accidere possit. deinde hanc sententiam universam, iudices turpe ducere iudicium repugnare plebiscito, orator profert ita, ut per exemplum illustret. quod vero exemplum gratius, quod acceptius esse poterat, quam adversarii? ac ne telum frustra mittat, orator adicere debet *ἐν τοῖς ἀγῶσιν*, quoniam is revera *ἐν τῷ θεάτρῳ* coronari a Ctesiphonte iussus erat. Demosthenem ergo orator iterum carpit neque quisquam iudicum non intellexit. et quam acerba calumniatio atque impetus insit his verbis, ut rectius intellegamus, meminerimus quaeso hanc orationis partem conceptam fuisse, cum ratio a Demosthene nondum reddita erat. sententia igitur fere sic circumscribi potest: pudere enim iudices puto, si quis — ut exempli gratia nunc fit —, qui antea coronari ob virtutem pronuntietur in theatro, postea ex iudicio peculatus condemnatus prodeat. —

In eodem perstringendi studio deprendimus oratorem § 230. verbis enim *διὰ τὸ ξενικοῖς στεφάνοις ταύτην ἀποδεδόσθαι τὴν ἡμέραν* apertissime ad Ctesiphontis rogationem alludit, qui Dionysiis magnis Demosthenem coronari iusserat. si vero Weidner (com. ed. Ctes. Berol. ad h. l.) haec verba uncis inclusit, quod „dieser zusatz die absicht verfolgt das unnatürliche und ungesetzliche der bekränzung des Demosthenes an diesem tage wieder hervorzuheben“, adeo non sententiam evicit, ut eam causam detegeret, qua ut retineamus verba commovemur. et „*ταύτην τὴν ἡμέραν*“, quae verba Halm (l. l. p. 12 n. 12) intellegi posse negat, quoniam orator eadem paragrapho rogationem Ctesiphonteam commemorat, facili ni fallor negotio elucebat eandem diem esse, ac quae ad Demosthenem coronandum destinata erat. deinde ne hoc quidem propter Halmium supersedeo commemorare, sententiam causalem ad *οἷς ὁ δῆμος ἐστεφανοῦτο ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων* adici, non ad ea, quae antecedunt. —

Verum eadem ratiocinatione adducor, ut § 249 Benselero plane assentiar, qui *ξενικῶν* expungit. quod qui sententiam suam aperuerunt viri docti probant. atque cum dubitare non liceat revera Demosthenem perstringi, quippe qui in sequentibus etiam apertius tangatur, *ξενικῶν*, quod adiectum est, ut explicarentur quae sequuntur: *ἐν τοῖς Ἕλλησιν*, necesse est reiciatur. tamen quae deinde subsequuntur verba *μὴ βεβαιοῦτε αὐτῷ τοὺς ἐπαίνους* moras creare possunt, cum nonnisi ad

alienas coronas propter ipsam verbi *βεβαιοῦσθαι* naturam (cf. § 8. Thuc. VI 10 3. Krueg. gr. gr. 52, 8. 3 et 4) recte referri posse videantur. sed laudes quoque Atheniensium eas, de quibus probuleuma senatus extabat, confirmari a populo recte dici posse probabile est. Weidner vero, cum verba *ἐν τοῖς Ἕλλησιν* quoque interpolatoris sedulitatem redolere iudicat, vereor ne veram scriptoris manum laeserit. per verba enim *κηρυγμάτων ἐν τοῖς Ἕλλησιν* (quae artius inter se consocianda sunt), cum nihil valeant nisi: *κηρυγμάτων ἐν τοῖς ἀγῶσιν* sive *ἐν τῷ θεάτρῳ*, oratorem persequi idem consilium iudico, quod iam § 10 iniit per verba *ἐν τοῖς ἀγῶσιν*. —

Quid quod hoc calumniandi studio orator eo adducitur, ut confundat, quae per se haud apte coniunguntur. § 148 enim *ἀστράτευτος καὶ λιπὼν τὴν τάξιν* mire consociantur, quoniam „qui numquam militasse contemptim dicitur“, non posse videtur „eodem tempore deserti in bello ordinis coargni“; id quod recte perspexit Schmidt („Satura critica“ Mus. Rhen. XXXIV 114). quod vero *καὶ λιπὼν τὴν τάξιν* pro emblemate habet, vereor ne probabilem sententiam non statuerit. quid quod utrumque et *ἀστράτευτος* et *λιπὼν τὴν τάξιν* oratoris consiliis paene necessario requiritur. qui cum adversarium ita carpere soleat, ut quam maxime caveat ne plane mentiatur, illud prius, *ἀστράτευτος*, ad Demosthenem referri non licet: immo ut recte opponantur *ῥήτωρ* et *Φωκικὸς πόλεμος δεκέτης γεγονώς*, priori adiciatur *ἀστράτευτος* necesse est. sed ut ex altera parte omnino Demosthenes recte subintellegatur, *καὶ λιπὼν τὴν τάξιν* Aeschines quin addat facere non potest. —

Quin oratorem nostrum naturae suae potius, quam arti obsecutum adversarii odio ita indulsisse, ut logicas rationes perverteret aut orationis tenorem perturbaret, exemplis licet demonstrare. veluti § 99, cum ceteris hominibus gloriosis Demosthenem opponeret, orationem sic conformare debuit, ut sententiam probabilem redderet: *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι ἀλαζόνες ἀόριστα καὶ ἀσαφῆ πειρῶνται λέγειν* . ., *Δημοσθένης δέ, ἃ*

οἶδεν οὐδέποτε ἐσόμενα, τολμᾷ λέγειν, εἰς ὁπότ' ἔσται. addit vero alteri membro hoc quoque: *πρῶτον μὲν μεθ' ὅρκου ψεύδεται*, ut quae nunc leguntur recte inter se opponi non videantur. —

Quid quod § 20 sententia intericitur, quae aliena est et segreganda a tota argumentatione, quam iniit a § 17. sed mirum quantum omnes adhuc viri docti fortius interpungunt post *κολάζουσιν*, cum scriptor me iudice talem orationem conformare voluerit: *οὐκ ἄρα στεφανωθήσεται ἡ βουλή ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου; οὐδὲ γὰρ πάτριον αὐτοῖς. οὐκ ἄρα φιλοτιμοῦνται; πάνυ γε, ἀλλ' οὐκ ἀγαπῶσιν, ἐάν τις παρ' αὐτοῖς μὴ ἀδικῇ. — ἀλλ ἐάν τις ἐξαμαρτάνῃ, κολάζουσιν, οἱ δὲ ὑμέτεροι ῥήτορες τρυφῶσι.* nam sic ut adhuc quidem fit, si sententias segregamus, verba haec: *οἱ δὲ ὑμέτεροι ῥήτορες τρυφῶσι*, quibus adversarii carpuntur, qua re scriptor commotus sit ut adiceret, minime ex eis elucet, quae antecedunt. accedit quod ne hoc quidem intellegitur, qua ratione verba quae sunt *ἀλλ' ἐάν τις ἐξαμαρτάνῃ κολάζουσιν* antecedentibus opponantur. nam quamquam verba *πάνυ γε* (sc. *φιλοτιμοῦνται*) *ἀλλ' οὐκ ἀγαπῶσιν, ἐάν τις παρ' αὐτοῖς μὴ ἀδικῇ* per se plenam sententiam et integram exhibent, si quis tamen desiderari aliquid iudicat, necesse est sententia sic expleatur: areopagitae laudis atque gloriae quamquam sunt avidissimi, ut honorificent, non satis credunt nil culpae quemquam commisisse, sed ultra poscunt, ut sc. super debitum faciat. quae cum ita sint, verba *κολάζουσιν* et *οἱ δὲ ὑμέτεροι ῥήτορες τρυφῶσι* pari iugo coniugata una referenda esse ad ea, quae antecedunt: *ἀλλ' ἐάν τις ἐξαμαρτάνῃ*, persuasum habeo. his enim, quae areopagitae gloriae et honoris quam cupidi sint, minime docent, orator utitur, ut interrumpens argumentationem patefaciat, quam diversam agendi rationem, si revera quis culpam commiserit, areopagitae ineant et adversarii. *τρυφᾶν* vero de eo dicitur, qui aliter agit ac pro eius condicione decet, ut recte opponatur verbo *κολάζειν*. exemplum luculentissimum

est Dem. or. XIX 197: hic enim femina Olynthiaca facere recusat, quae se indigna putat, quae tamen illi qui cenae adsunt, captam decere iudicant. cumque recuset, captam *τρυφᾶν* dicunt. —

Eandem ni fallor calumniandi consuetudinem verba redolent, quae leguntur § 19 et quae mirum quantum a viris doctis mutilata sunt. nam in codicibus haec scripta sunt: *πάλιν τοὺς τριηράρχους ὑπευθύνους εἶναι κελεύει ὁ νόμος οὐ τὰ κοινὰ διαχειρίσαντας οὐδ' ἀπὸ τῶν ὑμετέρων προσόδων πολλὰ μὲν ὑφαιρουμένους βραχέα δὲ καταθέντας* (A[h], *καταπιθέντας* B), *ἐπιδιδόναι δὲ φάσκοντας ἀποδιδόντας δὲ ὑμῖν τὰ ὑμέτερα, ἀλλ' ὁμολογουμένως* (*τοὺς* add. A[h]) *τὰς πατρῴας οὐσίας εἰς τὴν πρὸς ὑμᾶς ἀνηλωκότας φιλοτιμίαν*. Bakius („Scholica hypomnemata" Lugd. Batav. 1852 vol. IV p. 318) vero praeterquam quod pro *διαχειρίσαντας* scribit *διαχειρίζοντας* et *ἐπιδιδόναι τε* pro *ἐπιδιδόναι δὲ*, probante Weidnero (com. ed. Lips. ad h. l.) vocabulum *προσόδων* quasi insiticium delet. quem virum doctum coniectandi libidine superavit Schmidt (l. l. p. 111) cum alteram particulam *δέ* post *ἀποδιδόντας* extirpat. neque tamen aut mutando aut delendo veram scriptoris manum assecuti sunt, sed quod propriam oratoris consuetudinem parum diligenter observarant, genuina verba corruperunt. nam tempora aorista *διαχειρίσαντας* et *καταθέντας* (sic enim optimi libri [1]) consili ooratorem posuisse iudico eam ob causam, quod talia vel similia verba rationis reddendae formulis inserta, quas orator hic in mente habet, tempus aoristum solent praebere: *οὔτ'* (§ 22) *ἔλαβον οὐδὲν τῶν τῆς πόλεως οὔτ' ἀνήλωσα*. ut temporum diversitatem ex scribarum neglegentia ortam esse negem. Schmidt vero quod Bakio auctore *ἐπιδιδόναι δὲ φάσκοντας* mutat in *ἐπιδιδόναι τε φάσκοντας* insuper *δέ* post *ἀποδιδόντας* expungens (v. praeterea p. 46), quomodo inter

[1]) sedulus alterius recensionis grammaticus *καταπιθέντας* scripsit, quod hoc verbum inter praesentia tempora interiectum insuper responderet priori *ὑφαιρουμένους*. —

se singulae orationis totius partes responderent, non recte perspexisse videtur. verbis enim hisce: *πολλὰ μὲν ὑφαιρουμένους*, quibus quasi secundaria subiunguntur: *βραχέα δὲ καταθέντας*, verba *ἐπιδιδόναι δὲ φάσκοντας* respondent, quibus item subiunguntur alia: *ἀποδιδόντας δὲ ὑμῖν τὰ ὑμέτερα*. haec vero omnia inter hanc sententiam: *οὐ τὰ κοινὰ διαχειρίσαντας — ἀλλ' ὁμολογουμένως τὰς πατρῴας οὐσίας εἰς τὴν πρὸς ὑμᾶς ἀνηλωκότας φιλοτιμίαν* intericiuntur: sic quidem ut ineptias prodere videantur. an putamus proprie ac recte oratorem nihil ex publicis pecuniis trierarchos surripuisse dicere potuisse, postquam eos omnino nihil rei publicae administrasse, ergo nihil habuisse quod furari possent, commemoravit? immo orator his verbis reliquae sententiae haud ita magna arte interiectis Demosthenem perstringit, quem proximis (23) paragraphis sic castigat: *ἔασον ἀμφισβητῆσαι σοι τὸν βουλόμενον τῶν πολιτῶν ὡς οὐκ ἐπέδωκας ἀλλ' ἀπὸ πολλῶν, ὧν ἔχεις εἰς τὴν τῶν τειχῶν οἰκοδομίαν, μικρὰ κατέθηκας δέκα τάλαντα εἰς ταῦτα ἐκ τῆς πόλεως εἰληφώς*. iam cum § 23 Demosthenes ex eis, quae redibant ad muros reficiendos, surripuisse arguatur, § 19, ubi quae postea de Demosthene praedicantur, eadem negantur de trierarchis, nemo non videt, quanto sententiae detrimento illud *προσόδων* i. e. „eorum quae populo redeunt" deleatur, quippe quod fortissimam reddat cavillationem ad adversarium spectantem. quae si ita sunt, tota Weidneri (com. ed. Lips. ad h. l.) ratiocinatio corruit, qui ut una cum Bakio deleat vocem *προσόδων*, hisce causis commovetur: „falso veteres grammatici addiderunt *προσόδων*. nam non ex reditu modo publico, sed omnino ex publicis pecuniis surripere i. e. peculatum facere poterant. accedit quod contrarium efficitur ex propriis et publicis pecuniis aut erogatis aut surreptis." —

Eundem oratorem, qui adversarios calumniando persequitur, amicos vel eos quibus favet ut poterat defendisse nemo opinor mirabitur. atque ut huius quoque generis exemplum afferam, pauca de § 133 disseram. — orator vehementissime

(inde a § 129) Demosthenem quasi auctorem publicae calamitatis (pugnae Chaeronensis) invectus inde a § 132, ut et orationem amplificet et audientium animos sollicitet, paullo longius digreditur, hanc aetatem „portentosam ob fortunae vicissitudines et incredibilem visum iri posterioribus" per tria exempla illustrans, et regis Persarum et ex Graecis Thebanorum atque Lacedaemoniorum. atque illo quidem exemplo ita utitur, ut regis Persarum superbissimi, quippe qui fines humanos transgressus sit, res funditus eversas esse plane atque simpliciter enarret; haec vero Graecorum exempla affert ita, ut culpam eorum, quamquam patefacit, tamen eo, quod suum ipsius adicit mite iudicium, minuere atque excusare studeat: Thebani enim perniciem sibi paraverunt, *εἰ καὶ δικαίως* . . ., *ἀλλὰ τήν γε θεοβλάβειαν καὶ τὴν ἀφροσύνην οὐκ ἀνθρωπίνως ἀλλὰ δαιμονίως κτησάμενοι*, et Lacedaemonii *προσαψάμενοι μόνον τούτων τῶν πραγμάτων ἐξ ἀρχῆς περὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ κατάληψιν*. id quod orator de Lacedaemoniis dicit, accuratius velim respiciamus. neque ei verbis *προσαψάμενοι μόνον* . . . *ἐξ ἀχῆς*, i. e. „attingentes tantummodo ab initio", quibus quo gradu, qua ratione participes fuerint iudicat, suo iure uti licebat, si quantam partem habuissent in re de qua agitur Spartiatae, vulgo sine ulla constitisset dubitatione. hoc tenendum est. iam cum quid tandem debeat intellegi, quaeramus, nonnisi aut Cadmeae aut templi Delphici occupationem oratorem tangere per Diodorum (XVI 24; 63) constat. quod vero Cadmeam Lacedaemonii aperte in omnium conspectu occuparunt, verba Aeschinis, si de hac re, quae nullo praesidio poterat tegi, iudicium continerent, nonnisi per ludibrium dicta putari possunt. quae sententia ab oratoris consilio est aliena. attamen audientes Dobraeum (l. l. p. 344) et Weidnerum (edd.), qui verbis *περὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ κατάληψιν* deletis hanc orationem genuinam iudicant: *προσαψάμενοι μόνον τούτων τῶν πραγμάτων ἐξ ἀρχῆς*, revera Cadmeae occupationem ut intellegamus adducimur. nam verba *τούτων τῶν πραγμάτων* non

res Thebanorum, sed in universum tales res designare, quibus impietas cernitur aut superbia, cogitari non potest. hoc enim si ponimus, praesertim si exempla regis Persarum et Thebanorum respiciamus, res ipsa vel scelus ipsum desideratur, quo culpam, cuius de gravitate iudicat orator, Lacedaemonii commiserunt. quae omnia si recte disputavi, restat ut templi Delphici occupatio intellegatur. iniuste ergo verba *περὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ κατάληψιν* expunguntur. quae genuina esse eo certius licebit iudicare, quod quantopere Lacedaemonii adiuvissent Phocenses impios atque sceleratos, quoniam foedus erat secretum, vulgo ignorabant. cf. Diodori (XVI 24) verba *ὁ δ' Ἀρχίδαμος ἀποδεξάμενος τὸν λόγον φανερῶς μὲν κατὰ τὸ παρὸν οὐκ ἔφησε βοηθήσειν, λάθρᾳ δὲ πάντα συμπράξειν χορηγῶν καὶ χρήματα καὶ μισθοφόρους*. atque ut rerum scriptor dicit: *βλασφημούμενος* (*Ἀρχίδαμος* sc.) *ὡς μάλιστ' αἴτιος γεγονὼς τῆς τῶν Δελφῶν καταλήψεως*, sic oratori oratoriis consiliis indulgenti ex altera parte minorem reddere culpam Lacedaemoniorum libuit, cum eos procul tantum accessisse ad istud crimen dicit. rem vero tunc temporis notissimam ideo certo significavit, ne quis, utra earum quae cogitari poterant res esset, dubitaret. —

Iam priusquam desinam de hoc Aeschinis amplificandi, calumniandi, diminuendi more disputare, de § 101 disseram. quod extremum esse exemplum iussi, quia transitum parat ad aliam oratoris consuetudinem. atque codices si sequimur, haec illo loco scripta invenimus: *ὁ μιαρὸς καὶ ἀνόσιος ἄνθρωπος, ὅν φησι Κτησιφῶν καὶ* (om. A^h) *ἐν τῷδε τῷ ψηφίσματι διατελεῖν λέγοντα καὶ πράττοντα τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων*. iam quo referenda sint verba: *ἐν τῷδε τῷ ψηφίσματι*, quoniam aut quod sequitur Demosthenis psephisma [1]), aut

[1]) hoc psephisma quoniam ipsum postea demum pronuntiatur, quamquam antea de eo orator disseruit, recte nominatur *τόδε τὸ ψήφισμα*, non *τοῦτο τὸ ψ.*: hoc moneo, quia Adam „De codicibus Aeschineis" diss. Berol. 1882 p. 21 aliter iudicavit. —

Ctesiphontis rogationem designare possunt, cum primo obtutu non elucescat, oratoris consilium accuratius perquirere iuvat. atque Demosthenis psephisma, quod nunc pronuntiabitur, et rogationis Ctesiphonteae ea pars, qua coronationis causae indicantur, quantopere inter se discrepent, ut per ludibrium explanet, totam hanc sententiam: *ὅν φησι Κτησιφῶν καὶ* (om. A[h]) *ἐν τῷδε τῷ ψηφίσματι διατελεῖν λέγοντα καὶ πράττοντα τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων* orator adicit. cui consilio verbis (*καὶ*) *ἐν τῷδε τῷ ψηφίσματι*, si ad Demosthenis psephisma pertinere putantur, etiam incrementum afferri haud spernendum is non negabit, qui cavillationem acerbiorem hinc fieri intelleget. sed quid? hocine psephisma Ctesipho commemorarat in sua rogatione? sic sententia accipiatur nolim sed Ctesipho Demosthenem honorari, quod omnino, in omnibus rebus *διατελεῖ λέγων καὶ πράττων τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ* quoniam iusserat, hoc ipsum psephisma, de quo agitur, una comprenditur. quae si ita sunt, suo iure orator eligere poterat hoc quasi exemplum, quo quanta licentia Ctesipho fuerit atque vaniloquentia, egregie demonstrare liceret. nos sic reddere possumus sententiam: „von welchem Ktesiphon behauptet, dass er beispielsweise auch in diesem psephisma fortfährt gutes dem volke zu sagen und zu tun.“ iam puto apparere, quo tendam. haec enim verba, de quibus agitur, ex sua potius ipsius quam Ctesiphontis sententia orator adiecit. in eo ergo, quod *ἐν τῷδε τῷ ψηφίσματι* et *διατελεῖ* coniunguntur, quae inter se discrepare videntur, praeterquam quod huius generis dicendi exemplum (Heges. [Dem. VII] 33) invenitur, offendere (Adam l. l. p. 21) non licet: diversorum enim hominum sententiae produntur. addo, si sic interpretamur, codicum B, qui *καί* exhibent ante *ἐν τῷδε τ. ψ.*, auctoritatem esse sequendam. —

Liceat mihi hoc, quod modo auspicatus sum, oratoris genus dicendi per exempla complura persequi atque illustrare. atque § 147 Demosthene, quod *προσέμιξε φέρων τὸν κίνδυνον ἀπαρασκεύῳ τῇ πόλει*, acerrime castigato his verbis pergit orator: *τί γὰρ ἂν οἴεσθε Φίλιππον ἐν τοῖς τότε καιροῖς εὔξασθαι; οὐ χωρὶς μὲν πρὸς τὴν πολιτικὴν δύναμιν, χωρὶς δ' ἐν Ἀμφίσσῃ πρὸς τοὺς ξένους διαγωνίσασθαι*; quae verba sicuti exscripsi codicum auctoritatem secutus, probam sententiam atque integram exhibere non videntur. nam ut Weidneri (com. ed. Lips. ad h. l.) verbis utar, „si una pars sententiae locorum et proelii commemoratione distinguatur, ne altera quidem eadem notitia carere potest.“ itaque vir doctus, quod ut hinc probabilem orationis formam recuperaret, *ἐν Ἀμφίσσῃ* expulit, prorsus recte fecisset — si haec verba ad Philippi regis desiderium pertinerent. attamen non hoc, ut certis quibusdam locis concurreret cum Atheniensium exercitibus, optavit, sed illud potius, ut cum separatis illis diversis locis (*χωρίς*) proelium committeret. verba igitur, quae sunt *ἐν Ἀμφίσσῃ*, Aeschines, quoniam profecto Philippus hunc alterum mercennariorum exercitum ad Amphissam vicerat, ex sua potius sententia altero enuntiati bipertiti membro adiunxit. quo fit, ut verba paene in aere pendeant. sed semper id ago potius, ut quod sit scriptoris dicendi genus, ut possum perspiciam atque explanem, quam ut quae omnibus ex partibus nobis placeant, coniectando ponam. —

Neque aliter iudicare licet de § 142 verbis, quae sunt *γράψας ἐν τῷ ψηφίσματι ἐάν τις ἀφιστῆται πόλις ἀπὸ Θηβαίων βοηθεῖν Ἀθηναίους Βοιωτοῖς τοῖς ἐν Θήβαις*. sane verba *ἀπὸ Θηβαίων*, quae editione Berol. priore expuncta altera Weidner iterum recepit, in psephismate Demosthenis, quoniam is verbis ludit et Thebanorum nomen evitare studet, non exstitisse nemo non concedet. quae etsi ita sint, tamen haec verba pro genuinis habenda sunt, quae orator, quam non rei aut veritati Demosthenis verborum aucupia et argutiae respondeant, ut facilius intellegant iudices, ex sua sententia adicit. —

Quid quod huic exemplo consimile extat alterum. orator enim, postquam § 71 Demosthenem in altera earum contionum,

quae habitae erant die XVIII et XIX mens. Elaphebol., consilia, quae in priore probata erant, irrita reddidisse arguit, sic § 72 pergit: *καὶ τελευτῶν ἐπὶ τὸ βῆμα παρακαλέσας Ἀντίπατρον* (principem Philippi legationis) *ἐρώτημα ἠρώτα προειπὼν μὲν, ἃ ἐρήσεται, προδιδάξας δὲ, ἃ χρὴ κατὰ τῆς πόλεως ἀποκρίνασθαι.* neque solum „sententiam fieri obscuram“ verbis *κατὰ τῆς πόλεως*, si Demosthenis interrogantis et quid responderi opus sit, antea docentis sensum prodere crederentur, Weidnero („De Aeschinis emendatione ad Cobetum epistola“ progr. gymnas. Giess. 1874, p. 19) concesserim, sed eam esse talem, qua ineptior cogitari nequeat, confidentissime contendo. probabilis vero sententia et quae naturali huius scriptoris eloquentia haud indigna videatur, exsistit, si haec verba *κατὰ τῆς πόλεως* de suo adicere oratorem putamus, id quod exemplis modo prolatis commendatur. iterum ergo enarrationem simplicem et suum ipsius iudicium miscet. — eadem et naturalis facundia et artis penuria conspicua est in exemplis talibus: § 116 enim epitheto *προσῆκον* ad *τὸ ἐπίγραμμα* adiecto orator „suam potius sententiam et aequorum hominum iudicia designavit, quam eorum qui multare Athenienses voluerunt, sensus.“ — quibuscum quae § 31 leguntur verba *ἄρχοντα καὶ τειχοποιόν* conferas, quoniam „*ἄρχοντα*“ in ipso Pandionidarum psephismate non extitisse vix dubitari potest. ceterum num hac voce adiecta „quod ipse ratiocinando effecisse sibi visus est tamquam consilium et voluntatem tribulibus attribuat“ (sic Weidn. com. ed. Lips. ad h. l.), ex similitudine huius et eorum quos modo perlustravi locorum valde dubium mihi videri fateor. —

Aliud quoque huius generis exemplum proferam. § enim 149 orator, cum loquatur de tertio Demosthenis facinore, quo is impedierit ne pax cum Philippo fieret, haec dicit: *ἀναπηδήσας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ οὐδενὸς ἀνθρώπων λέγοντος οὔθ' ὡς δεῖ ποιεῖσθαι εἰρήνην, οὔθ' ὡς οὐ δεῖ, ἀλλ' ὡς ᾤετο κηρύγματι τούτῳ* (A[h], *τοῦτο κηρύγματι* n, *τοῦτο κήρυγμά τι* agm) *τοῖς*

Βοιωτάρχαις προκηρύττων ἀναφέρειν ἑαυτῷ (A, *αὐτῷ* B) *τὰ μέρη τῶν λημμάτων, διώμνυτο τὴν Ἀθηνᾶν . . . ἦ μὴν, εἴ τις ἐρεῖ ὡς χρὴ πρὸς Φίλιππον εἰρήνην ποιήσασθαι, ἀπάξειν εἰς τὸ δεσμωτήριον.* et quamquam quae sit oratoris sententia, dubium esse nequit, tamen interrogatur, quo illud enuntiatum *ἀλλ' — προκηρύττων* pertineat, quod per orationem potius, quam per sententiam opponitur praecedenti *οὐδενὸς ἀνθρώπων λέγοντος* qs. . nam *ἀναπηδήσας* inter et *διώμνυτο* licet haesitare. sed mihi quidem sententiarum nexus probabilior fieri videtur, si duo enuntiata inter se opposita, *οὐδενὸς* usque ad *λημμάτων*, una cum *ἀναπηδήσας*, sed varia ratione (cf. Krueg. gr. gr. § 56. 15. 12) a *διώμνυτο* pendere putamus. codices igitur duces si sequimur, talia vult orator: exsiliens in ecclesia nullo homine pacem aut suadente aut dissuadente, sed — ut enim sibi finxit animo vel imaginabatur — Boeotarchis quasi publica auctoritate denuntians (verba addubitata *κηρύγματι τούτῳ* vel *τοῦτο κήρυγμά τι* paullisper omitto), ut sibi debitam (*τὰ*) reditus (a Philippo redeuntis) partem traderent, simul iuravit se eum qui de pace loqueretur, in vincula coniecturum esse. atque cum sic Demosthenem in ecclesia duo facientem, quae duplici timori antea (149 ineunte) respondeant, denuntiantem sc. publica auctoritate et iurantem, inducat, orator prius illud, quoniam addit *ὡς ᾤετο*, ea effert ratione, ut revera talem Demosthenis pronuntiationem publicam auctoritatem habuisse neget et Demosthenem pro sua arrogantia hoc sibi finxisse doceat. qua re orator audientium risum movet. atque qualia Demosthenes pronuntiaverit, ex enuntiato opposito apparet: *οὐδενὸς ἀνθρώπων λέγοντος κτλ.*, nimirum pacem Boeotarchis utique non esse faciendam. iam vides Aeschinem verbis hisce *ἀλλ' — ὡς ᾤετο — προκηρύττων κτλ.* pro simplici de pronuntiatione enarratione suum ponere iudicium de eo, quod Demosthenes hac pronuntiatione effecisse sibi finxerit. nam hoc ipsum, sibi partem dare pecuniarum a Philippo proditionis causa acceptarum Demosthenes plane atque aperte

iubere non poterat. neque hoc dicit orator noster, immo sic ratiocinatur: Demosthenes quod nullo homine alia rogante pacem fieri a Boeotarchis cum Philippo vetat, tali pronuntiatione non hoc ipsum videtur petere, sed potius quasi publica auctoritate denuntiare — sic ut Boeotarchi non oboedire nequeant — sibi videtur, ut ea qua debent pecuniarum vi condonent. — quae si ita sunt, nemini opinor dubium fore, quae verba praebet codex A[h]: *κηρύγματι τούτῳ*, i. e. hac pronuntiatione, quae qualis fuerit, concludi potest ex enuntiato praecedente, sola oratoris consilio respondere. Weidner vero, qui non solum *κήρυγμά τι* pro *κηρύγματι τούτῳ* scribi iubet editores Turicenses secutus, sed etiam *ᾤετο* expungit: *ἀλλ' ὡς κήρυγμά τι τοῖς Βοιωτάρχαις προκηρύττων ἀναφέρειν αὑτῷ τὰ μέρη τῶν λημμάτων διώμνυτο κτλ.*, ut sententiarum conexum perspexisse non videtur, ita ipse neque orationem nec sententiam probabilem restituit. nam *κήρυγμα προκηρύττειν* neque exemplis comprobatur neque per se placet, quoniam verbo *κήρυγμα* nihil novi atque proprii ad *προκηρύττειν* (Lobeck parall. p. 802 sqq.) affertur. deinde *ὡς προκηρύττων διώμνυτο* quid valeret, ut perspicerem, mihi non contigit. nam quoniam *ὡς* particula cum participio coniuncta nova res non designatur, sed Demosthenis sententia tantum indicatur et iudicium (cf. Krueg. gr. gr. § 56. 12. 2), haec haberemus: „opinatus se publica auctoritate denuntiare Boeotarchis, ut sibi debitam reditus partem tribuerent, iuravit se in vincla coniecturum esse qs.". immo si verba *ὡς προκηρύττων* recte starent, haec fere expectaremus: „ratus se — si omnino aliquid iuberet — publica auctoritate Boeotarchis denuntiare iussit sibi debitam reditus partem tribui." sed hoc noluit orator. —

His omnibus quae perlustravi exemplis hoc commune est, quod vocibus interiectis orationis tenor ipse, quamquam variatur, tamen non plane interrumpitur. ut caveas, ne his adductus probes etiam talia, qualia § 205 extare videntur. in codicibus enim haec verba exarantur: *οὕτω δὴ καὶ τὸν Δημοσθένην ἀξιώσατε ἀπολογεῖσθαι πρὸς τὸν τῶν ὑπευθύνων νόμον πρῶτον, πρὸς τὸν περὶ τῶν κηρυγμάτων δεύτερον, τρίτον δὲ τὶ μέγιστον λέγω ὡς οὐδὲ — ἀνάξιός* A, *ἄξιός* B *— ἐστι τῆς δωρεᾶς.* quae verba noli sic accipere, quasi enarratione de defensione Demosthenis interrupta orator tertiam accusationis partem proferat; quo cogitari non potest quid sit ineptius. — sed inquiramus quaeso accuratius in rem. nam qui viri docti hinc probabilem orationem recuperare aggressi sunt, alii aliam adhibuerunt medicinam. ex quibus suo coniciendi more ducti Hamaker („Observationes criticae in Aeschinis orationes" Mnemosyne vol. VIII — 1859 — p. 16) ille quidem pro *λέγω* scripsit *λεγέτω*, atque Weidner, qui primum ipse quoque *λεγέτω* coniecit, postea tamen „hoc verbum prorsus ab ista re esse alienum" vidit (adn. crit ed. Lips. ad h. l.), novam interpolationis foedissimae expiscandae occasionem offerri ratus verba *τὸ μέγιστον λέγω* expunxit; interpretandi vero studio indulgens Adam (l. l. p. 30), ut ego quoque, antequam huius viri docti libellum inspexissem, iudicavi, verba *τὸ μέγιστον λέγω* interiectae sententiae loco segregat: *τρίτον δὲ — τὸ μέγιστον λέγω — ὡς κτλ.* . a qua sententia haud procul abest quod Bekkerus editor coniecerat: *ὃ μέγιστον λέγω*. atque duae quidem verba intellegendi rationes per codices extant, altera, quam supra posui quamque nemo vir doctus non sprevit, altera, quam Adam amplexus est. illa vero probata in enuntiato secundario, ut sententiae recte conectantur, necesse est codicis B lectio accipiatur, sic ut haec oratio evadat: *τρίτον δὲ τὸ μέγιστον λέγω ὡς οὐδὲ ἄξιός ἐστι τῆς δωρεᾶς.* sed tota haec sententia per se proba atque apta hic tamen oratoris consilium perturbat atque reliquae orationis conexum dirimit. nam Aeschines §§ 203, 204 tribus accusationis membris enumeratis Demosthenis defensionem et ipsam tripertitam (*οὕτω δὴ καὶ τὸν Δημ. κτλ.*) opponit. ut quam inepte tertia defensionis parte neglecta orator ad ipsam accusationem recurrat, nemini dubium aut esse possit aut fuerit. — sed et concin-

nitas servatur et ineptiae modo patefactae evanescunt, si verba *τὸ μέγιστον λέγω* parenthesis vices obtinere putamus. habemus enim talia: poscite igitur, ut Demosthenes eodem modo (quo accusavi) primum se defendat de lege lata de magistratibus rationi reddendae obnoxiis, altero loco de nuntiationum lege, tertio loco — maximum dico — *ὡς οὐδὲ ἀνάξιός ἐστι τῆς δωρεᾶς*. sic enim nunc in eo enuntiato, quod incipit a particula *ὡς*, codicum A lectione probata legendum censeo. atque verbum *ἀπολογεῖσθαι*, sicubi cum *ὡς* particula coniungitur, subire notionem universam „in defensione demonstrandi" (zur verteidigung vorbringen, nachweisen), exemplis comprobatur, ex quorum farragine affero haec: Lys. XIII 89 (ubi v. Frohberg.), ibid. 77, [Lys.] VI 37, Xen. Hell. V 4 22 (cf. ad Lys. XII 22). simili quoque ratione huius or. § 23 verba *ἔασον ἀμφισβητῆσαί σοι τὸν βουλόμενον τῶν πολιτῶν* („im streite behaupten dass") *ὡς κτλ.* explicantur, aut ibid. § 12 *ἐνδείκνυσθαι ὡς* („tut schön, indem er zugibt"), aut Lys. XIII 70 *ἐξαπατῆσαι πειράσεται ὡς* („durch die angabe täuschen dass"), cf. Xen. Anab. V 7 6. — errore vero aut falsa interpretandi ratione (cf. Adam l. l. p. 30) ductus codicis B scriba pro *ἀνάξιος* scripsit *ἄξιος*. an verbis *ἀπολογεῖσθαι . . . ὡς οὐδὲ ἄξιός ἐστι* coniunctis verbum *ἀπολογεῖσθαι ὡς* significationem hanc, si non usitatam, at quae cogitari possit, habere putamus: „se defendere contra crimen prolatum, quod ne dignus quidem sit"? quod exemplis num comprobari possit, valde dubito. — iamiam vides nos reductos esse ad idem quod in manibus habemus, oratoris nostri genus dicendi. —

Eadem consuetudo miscendi quae sub uno eodemque aspectu poni non possunt, conspicua est alia quoque in re. § 59 enim ut suam sententiam in lucem proferre posset, ne diversa quidem tempora severe distinxit. verba sunt haec: *ἐρχόμεθα δή που ἐνίοτε ψευδεῖς οἴκοθ εν*(*ψευδ. οἴκ. ἐν.* B) *δόξας ἔχοντες κατὰ τὸν λογισμὸν* (*τῶν λογισμῶν* B), *ἀλλ' ὅμως ἐπειδὰν ὁ λογισμὸς συγκεφαλαιωθῇ, οὐδείς ἐστιν ὑμῶν*

(*ὑμ. ἐστιν* B) *οὕτω δύσκολος τὴν φύσιν ὅστις οὐκ ἀπέρχεται τοῦθ' ὁμολογήσας* (*καὶ ἐπινεύσας* B) *ἀληθὲς εἶναι ὅ τι ἂν* (*αὐτὸς* add. B) *ὁ λογισμὸς αἱρῇ*. in his quae sunt *κατὰ τὸν λογισμόν* finitimis verbis repugnare videntur, quoniam illis aliud tempus et inferius indicatur quam quo tempore domo hi cives exeunt calculum facturi de impensis. neque Weidner *κατὰ τὸν λογισμόν* quasi interpolata cum delevit, inde aut aliam aut meliorem orationem recuperavit. nam quid? nonne *δόξαι* tum demum *ψευδεῖς* iuste appellari possunt, postquam calculo posito falsae esse demonstratae sunt? nonne potius cives, cum ad calculos ponendos coeunt, certas quasdam sententias habent, quae deinde rationibus redditis interdum improbantur? utut ergo de verbis *κατὰ τὸν λογισμόν* iudicatur, tempora diversa utique miscentur. in transcursu moneo Weidnerum quod praeter haec verba etiam *ἐνίοτε* delevit, simul verborum omnem singularem vim extinxisse. hoc enim modo distinguens *ἐρχόμεθα δή που οἴκοθεν, ἔχοντες δόξας, ἐνίοτε ψευδεῖς κατὰ τὸν λογισμόν* scriptoris mentem sic interpretor, ut dicat cives domo exeuntes certas quasdam sententias habere, quae si non semper at interdum tamen calculis singulis positis (hoc enim significat singularis numerus) improbantur atque refutantur. —

Iam in eo quod Aeschines exceptiones aut ipse statuit aut ab aliis factas fingit, similis consuetudo conspicua est. nam hac quoque ratione quid ipse iudicet, patefacere studet. quod genus duobus exemplis tractabo, quorum alterum legitur § 175. codices perhibent haec: *ὁ γὰρ Σόλων ὁ παλαιὸς νομοθέτης ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐπιτιμίοις ᾤετο δεῖν ἐνέχεσθαι τὸν ἀστράτευτον καὶ τὸν λελοιπότα τὴν τάξιν καὶ τὸν δειλὸν ὁμοίως· εἰσὶ γὰρ* (*δὲ* el) *καὶ* (om. l.) *δειλίας γραφαί. καίτοι θαυμάσειεν ἄν τις ὑμῶν εἰ εἰσὶν φύσεως γραφαί* (*καὶτοι — γραφαί* om. A). *εἰσίν. τίνος ἕνεκα; ἵν' ἕκαστος ἡμῶν* (*ὑμῶν* B) *τὰς ἐκ τῶν νόμων ζημίας φοβούμενος μᾶλλον ἢ τοὺς πολεμίους ἀμείνων ἀγωνιστὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος γίγνηται.*

atque ut primum codicum discrepantiam memorabilem solvam, proficisci mihi liceat a pleniore codicum B oratione, qui soli addunt: *καίτοι θαυμάσειεν ἄν τις ὑμῶν εἰ εἰσὶ φύσεως γραφαί.* quae verba, quoniam *εἰ* particula cum indicativo coniuncta, si a mirandi verbis pendet, eandem atque *ὅτι* vim (Krueg. gr. gr. § 65, 5, 7) habet, hanc sententiam exhibent: tamen aliquis vestrum miretur revera naturae accusationes extare. quae si ita sunt, cogitari non potest quid responso (*εἰσίν*) ad hanc sententiam dato sit perversius: nam aut nihil mirandum aut tale quid prorsus consentaneum esse responderi expectamus. velis remisque ergo quae in codicibus B exarata sunt inter se pugnant. iam si omittimus quae soli B codices praebent, atque ea quae omnes libri tradunt examinamus, vocabulo *εἰσίν* a quo nunc proficiscimur homini sic interroganti: existuntne? reponsum datur. hoc si tenemus, interrogationem postulatam verbis proxime antecedentibus: *εἰσὶ γὰρ καὶ δειλίας γραφαί* contineri manifestum est. quae interrogatio particulis interrogativis cum careat, admirationem quandam redolet. sic ergo scriptoris mentem interpretor ut dicat: „Solon eidem poenae obnoxios esse statuit *τὸν ἀστράτευτον* et *τὸν λελοιπότα τὴν τάξιν* et *τὸν δειλόν.* quid tandem? existunt etiam ignaviae accusationes? existunt. cur? ut quisque eqs.“. sic si interpretamur, non solum cur orator *εἰσίν* vocem in initio posuerit, perspicuum est, sed etiam illud qua de re inverso ordine (cf. Krueg. gr. gr. § 69, 32, 21) particulas *καί* et *γάρ* se excipere voluerit. cum enim *καί* particula ad vocem *δειλίας* pertineat, *γάρ* autem ad admirandi notionem clarius efferendam adhibeatur, haec illi praecedat necesse est. — igitur hac statuta explicatione cum omnia bene fluant, suaserim ut quae verba omnibus codicibus communia sunt, genuina esse putemus, sententiam vero codici B propriam expungamus, quam sciolus quidam adiecit eam, quam et ipse legerat, admirabundi scriptoris (propterea explicat sic: *καίτοι θαυμάσειεν ἄν τις*) interrogationem explicaturus. Bakius vero, qui (l. l. p. 329) verba

omnibus codicibus communia: *εἰσὶ γὰρ καὶ δειλίας γραφαί* delet tales *δειλίας γραφάς* non extitisse dicens, ut difficultatem ex vocabulo *εἰσίν* responsi locum obtinente exortam non solvit, ita refutatur Andoc. I 74 et Lys. XIV 7. haec ergo scriptoris verba genuina fuisse videntur: *ὁ γὰρ Σόλων . . . ᾤετο δεῖν ἐνέχεσθαι . . . τὸν δειλὸν ὁμοίως. εἰσὶ γὰρ καὶ δειλίας γραφαί; εἰσί. τίνος ἕνεκα; ἵν' ἕκαστος ἡμῶν κτλ.* — atque exceptionem hanc sive re vera factam sive animo fictam orator statuit, ut qua de causa legem latam esse ipse iudicet, fortius ponere sibi liceat. plana atque aperta huius loci condicio videtur. —

Difficilior vero res § 177 est diiudicatu. orator quo iure Demosthenes se popularem nominaret inde a § 168 usque ad 176 perscrutatus abrupta oratione (176 extr.) digressionem eam, qua Demostheni veteres populi principes (177—190) modestia ac virtute excellentissimos opponit, his incipit verbis: *Ἐπεὶ δὲ στεφάνων ἀνεμνήσθην καὶ δωρεῶν, ἕως ἔτι μέμνημαι, προλέγω ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ μὴ καταλύσετε τὰς ἀφθόνους ταύτας δωρεὰς καὶ τοὺς εἰκῇ διδομένους στεφάνους, οὔθ' οἱ τιμώμενοι χάριν ὑμῖν εἴσονται οὔτε τὰ τῆς πόλεως πράγματα οὐδέποτ' ἐπανορθωθήσεται.* deinde orator pergit sic: *τοὺς μὲν γὰρ* (om. A[h] et gmn, hab. a) *πονηροὺς οὐ μήποτε* (gmn, *δέ ποτε* a, om. A[h]) *βελτίους ποιήσετε, τοὺς δὲ χρηστοὺς εἰς τὴν ἐσχάτην ἀθυμίαν ἐμβαλεῖτε.* denique concludit his verbis: *ὅτι δ' ἀληθῆ λέγω, μεγάλα τούτων οἶμαι σημεῖα δείξειν ὑμῖν.* ex quibus sententiis prima ac tertia artius inter se cohaerere videntur. nam hac orator se iam exemplis comprobaturum esse ea quae antea posuerit, pronuntiat. altera vero quae interiecta est sententiola neque ad orationem priorem neque ad argumentationem sequentem quadrare videtur. ut Weidner, qui „neque pravos homines meliores evasuros et bonos viros in sollicitudinem quandam venturos et confusionem hoc certe nihil pertinere ad eam quae praemissa est sententiam“ iudicat (com. ed. Lips. ad h. l.), nihil

antiquius habeat, quam ut totam hanc sententiolam „quasi subito interiectam et extrinsecus illatam“ deleat. sed genuina verba expunxit. nam orator hanc sententiam intericit, ut exceptionem sive re vera factam sive a se ipso fictam refutet. sic enim cogitationes inter se nexae sunt: si honores et coronas tam stulte effundere pergitis neque honorati gratiam habebunt neque rei publicae salus augebitur: id enim — quod tamen quis vestrum fortasse contenderit hac ratione et effici posse et revera effici — prorsus negandum est fieri, ut mali atque pravi homines fiant meliores; immo ex altera parte etiam boni homines (hoc ut contrarium efficiat orator adicit) in maximum sollicitudinem atque ignaviam deiciuntur. — ergo suum ipsius iudicium statuens orator eam causam, qua quis dicat Athenienses commotos tam large coronas effundere, quasi vanam atque irritam ita refutat, ut simul quid revera consequatur ex tali ratione, opponat. ceterum prius huius refutationis bipertitae membrum gravius iudicandum est. quae si ita sunt, sententia haec interiecta non tam ad verba: *οὔϑ' οἱ τιμώμενοι χάριν ὑμῖν εἴσονται οὔτε τὰ τῆς πόλεως πράγματα οὐδέποτ' ἐπανορϑωϑήσεται*, ad quae potius ea quae sequitur argumentatio quadrat, quam ad condicionem antecedentem: *εἰ μὴ καταλύσετε τὰς ἀφϑόνους ταύτας δωρεὰς καὶ τοὺς εἰκῇ διδομένους στεφάνους* pertinet eoque minus disturbat cogitationum tenorem. atque in eo potissimum quod hanc sententiam interiectam referendam esse censuit ad totam primi enuntiati conclusionem, non ad condicionem solam initio praemissam, Weidner erravit. — sed haec hactenus. exempla adhuc congesta quamquam inter se nonnumquam paullulum diversa sunt, tamen in eo congruunt, quod nobis ante oculos ponunt oratorem, qui calumniandi et excusandi, patefaciendi et docendi, persuadendi et refutandi studiis variis eo adducitur, ut rectum atque severum sive enarrationum sive cogitationum conexum atque tenorem ita egrediatur, ut non prorsus disturbet. —

Hanc vero Aeschinis de oratione securitatem, quam saepe

viri docti non satis respexerunt, ut iniuste in oratoris verbis offenderent, per alia quoque exempla persequi atque illustrare licet. e quibus luculentissimum legitur § 102. orator inde a § 85 agit de Callia Chalcidensi, cui Demosthenes serviens Athenienses falsis expectationibus erectos pessime deceperit rogationibusque maxime noxiis decem talentorum tributis privaverit. § 101 extr. deinde ipsam Demosthenis rogationem recitari iubet atque concludit totam hanc partem his verbis: *οὐκοῦν τὰς μὲν τριήρεις καὶ τὴν πεζὴν σιρατιὰν καὶ τὴν πανσέληνον καὶ τοὺς συνέδρους λόγῳ ἠκούσατε, τὰς δὲ συντάξεις τῶν συμμάχων, τὰ δέκα τάλαντα, ἔργῳ ἀπωλέσατε·* atque cum hoc neminem fugerit oratorem contrarium efficere ex eis, quae *λόγῳ* et eis, quae *ἔργῳ* facta sunt, num recte haec duo inter se opposuerit, interrogatur. neque defuerunt qui sic ut nunc legitur, oratorem potuisse ratiocinari negarent. 'veluti Schmidt (l. l. p. 113) recte quidem inter se opponi talia contendit: aut „de navalibus pedestribusque copiis et de conventu audivistis quidem, sed numquam ea oculis conspexistis“, aut „Eretriensium et Oritarum tributa verbo quidem Calliae tradita, revera autem amissa sunt“. sed neutram sententiam mihi probavit. perperam enim scriptoris mentem interpretatus est, quasi verba *ἠκούσατε* et *ἀπωλέσατε* imprimis ab eo inter se opponerentur. attamen ex „*λόγῳ*“ et „*ἔργῳ*“ potius contrarium effici dubitari nequit; his vero orator verba quae sunt *ἠκούσατε* et *ἀπωλέσατε* simul adiungit, ut illa *λόγῳ* et *ἔργῳ* quid revera se iudice valeant, accuratius describat. sic enim Aeschines: vanum est quod in psephismate de triremibus dictum est et de pedestri exercitu et de plena luna et de conventu, ita ut vobis de his audivisse satis esse debeat; sed quod de sociorum tributis, decem illis dico talentis, imperatum est, hoc est verum, i. e. has pecunias profecto perdidistis. — neque praeter morem suum Aeschines eis quae intér se opponuntur, ut accuratius definiat, alia verba addit, quae et ipsa inter se opponi nolit. veluti § 13 verba: *ἐν τῷ Θησείῳ* et

ἐν ἀρχαιρεσίαις adiungit, ut ubi thesmothetae sorte aut populus suffragiis magistratus creare soleant, accuratius describat. eandem ob causam § 11 ex verbis: οἱ μὲν φύσει μέτριοί εἰσιν opponi in sequentibus alios „ἄλλως“ modestos conicere non licet. nam revera modesti quidam et immodestus Ctesiphon opponuntur, ut vocem φύσει adornandi causa adiectam esse appareat. itaque Weidnerum, cum verba ἐν τῷ θεάτρῳ, quae § 47 post τὸν ἀλλότριον στέφανον leguntur, delevit, veram scriptoris manum mutasse contenderim. sane cogitationum tenor et positus particulae μηδέ vetant verba μηδὲ κηρύττεσθαι τὸν ἀλλότριον στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ in eam accipi sententiam, ut legislator in theatro coronationem pronuntiari vetuerit, alias vero ut fieret concesserit. sed exempla quae modo perlustravi, si respiciemus, verbis: ἐν τῷ θεάτρῳ oratorem non circumscribere artioribus finibus, sed accuratius ubi fieri soleat id, quod antea posuit, ‘κηρύττεσθαι’ definire dicemus neque a vera sententia aberrabimus. — hac causa refutata restat altera, qua ut totam § 102 conclusionem pro insiticia haberet, Schmidt commotus est. eam enim velis remisque § 101 verbis repugnare vir doctus putat, quae a Weidnero sic recte correcta esse posuit: ὅτι δ' ἀληθῆ λέγω, ἀφελὼν τὸν κόμπον καὶ τὰς ἀλαζονείας αὐτοῦ τοῦ κλέμματος ὄψαι, ὃ ὑφείλετο ὁ μιαρὸς καὶ ἀνόσιος ἄνθρωπος: nam Aeschines mirum quantum § 102 id ipsum Athenienses audivisse praedicare videtur, quod antea § 101 recitare scribam vetuerat. ergo § 102 ad ea pertinere videtur, quae omisit scriba; id quod tamen moras creat. propterea delenda videntur § 102 verba, „quae cum nihil sint nisi brevis repetitio et complexio eorum, de quibus orator § 94—98 exposuit, facili negotio addi potuerunt suntque ut videtur a rhetore aliquo addita, qui subtile contrapositum hic efficere vellet“. sed sic ratiocinatus Schmidt et Aeschinis morem neglexit neque satis respexit Weidneri correctionem, qua nititur, improbabilem esse posse. — atque orator nullo loco excepto, si psephismata, leges, omnino ta-

bulos publicas pronuntiari iubet, talia quae aut ad tabulas ipsas pertinent aut ad ea quae proxime antecedunt, adicere solet. atque ei loci, ubi tabulae post maiorem aliquam orationis partem inseruntur, sunt hi: or. Tim. § 116 verba: περὶ μὲν οὖν τοὺς πολίτας καὶ τοὺς οἰκείους οἷος γεγένηται — ὁ παρ' ἐμοῦ λόγος pertinent ad alteram orationis partem, de qua agitur §§ 37—115 (cf. orationis dispositio § 8). Ctesiphonteae autem § 31 orator quae adhuc demonstravit, comprendit; § 48 deinde verba: ἐπειδὰν τοίνυν ἐξαπατῶντες ὑμᾶς λέγωσιν usque ad ὡς οὗτος ἔννομα γέγραφεν ad alteram accusationis partem §§ 32—47 expositam spectant. denique § 105 verba: τοῦτ' ἔστι τὸ ψήφισμα usque ad ἃ τετόλμηκεν οὗτος γράψαι ad psephisma ipsum proxime antecedens pertinent. — quod ad reliquas tabulas publicas attinet, vide primum eos locos, ubi orator, priusquam ad novum aliquid progrediatur, praecipue pronomine οὗτος usus similibusque aut tabulas ipsas breviter commemorat (cf. or. Tim. §§ 13 μετὰ ταῦτα, sc. post legem magistris datam de pueris, 22, 36, 67: καλῶ τὸν Ἡγήσανδρον, qui in testium dictis commemoratur, 69 τὸν ὅρκον, sc. testimonii pronuntiati; or. de f. l. §§ 55, 92, 128, 143, 156: or. Ctes. §§ 24 τὰ δημόσια γράμματα, i. e. psephisma pronuntiatum, 71, 113, 125, 188 τούτῳ τῷ ψηφίσματι), aut ea, quae antecedunt tabulis (cf. or. Tim. §§ 101 ἀργύριον πατρός, de quo § 97 sqq. scriptor loquitur, 105 ἀποδόμενος τὴν πατρῴαν οὐσίαν, de qua re § 101 sqq.; or. de f. l. §§ 47 [§ 45], 74 οἱ μὲν καιροὶ τῆς πόλεως [cf. 70] τοιοῦτοι ἦσαν, 87 τηλικαῦτα [86] καταψεύδεσθαι, 91 [cf. 90], 108 [cf. 101 sqq.]; or. Ctes. §§ 28 πρὸς τοῦτο [cf. 27], 69 τὰ Διονύσια [cf. 68], 77 οὗτος ὁ . . . κόλαξ [76], 94 — ad 91 sqq. —). aut orator in pauca verba cogit id, quod continetur aut tabulis (cf. or. Tim. § 51; or. de f. l. §§ 20, 56, [cf. 54], 62, 129; or. Ctes. §§ 33 [cf. etiam quae Aeschines dicit § 34], 34 [de plebiscito], 40 sqq., 102, 191, denique or. Tim. § 17), aut eis, quae tabulis antecedunt (cf. or. de f. l.

§ 85; or. Ctes. 23 — cf. 17 —). denique commemoro or. de f. l. § 66 et or. Ctes. §§ 16, 78. quibus locis ad tabularum pronuntiationem generalis quaedam quaestio adicitur. quae cum ita sint, § 102 a rhetore nescio quo adiectam fuisse ita nego, ut oratorem nostrum ipsissimum hisce verbis deprendi confidentissime contendam. — his statutis certius de § 101 iudicare licet. atque in codicibus haec leguntur: *ὅτι δ' ἀληθῆ λέγω ἀφελὼν τὸν κόμπον καὶ τὰς τριήρεις καὶ τὰς ἀλαζονείας* (A, *τὴν ἀλαζονείαν* B) *ἀνάγνωθι καὶ ἀπὸ* (om. B) *τοῦ κλέμματος ἅψαι, ὃ ὑφείλετο ὁ μιαρὸς καὶ ἀνόσιος ἄνθρωπος.* atque Dobree (l. l. p. 341) *καὶ τὰς τριήρεις* recte inter *τὸν κόμπον* et *τὰς ἀλαζονείας* stare non posse quod iudicavit, probabilem sententiam statuit, quia cur orator ex eis, in quibus Demosthenis iactatio conspicua erat (cf. § 102 init.), nihil nisi hoc unum hic posuerit, intellegi nequit. accedit quod trium vocabulorum ordo displicet. sed mittamus haec levia. gravior quaestio existit inde, quod verba *τὸν κόμπον καὶ τὰς ἀλαζονείας* a voce *ἀφελὼν* pendeant, an ab *ἀνάγνωθι*, adhuc sub iudice lis est. ex eis vero, quae § 102 leguntur quaeque adulterinam originem habere negavi ipsum oratorem ducem optimum secutus, scribam pronuntiare ipsas Demosthenis iactationes vetari adeo non potuisse apparet, ut eum e contrario vel iussum fuisse necesse sit statuatur. verbum ergo *ἀνάγνωθι*, quod Weidner „tamquam interpretamentum posterioris verbi *ἅψαι*“ eiciendum putavit, necessario requiritur, *ἀφελὼν* vero quod expungatur dignum est. quod ut adiceret, sciolus quidam verborum eorum similitudine adductus est, quae leguntur § 237, cuius loci ratio atque sententia diversissima est ab hoc, quem in manibus habemus. ibi enim haec: *ἀφελὼν τὴν ἀλαζονείαν καὶ τὸν κόμπον τοῦ ψηφίσματος, ἅψαι τῶν ἔργων, ἐπίδειξον ἡμῖν ὅ τι λέγεις.* atque hoc unico exemplo, quo tamen nihil probatur, quoniam orator aliud atque diversum consilium persequitur, Schmidt adductus esse videtur „verbum *ἅψαι* nisi praegresso participio *ἀφελὼν* locum non

habere“. sed quid? nonne aptissima gradatione sic progreditur oratio: quae iactabundus Demosthenes promiserat, velim pronunties et imprimis fraudem et furtum quoque teneas? atque scriptor *ἅψαι* ideo altero loco posuit, quod antea § 100 de Demosthene ipso praedicaverat: *ἀπαγαγὼν δ' ὑμᾶς ἔπωθεν ἀπὸ τοῦ κλέμματος.* quid quod hac probata interpretatione eadem sententia bipartita atque § 102 occurrit. quae concinnitas ipsa eam sententiam, quam statui, haud improbabilem esse edocet. iam ut quae exposui comprendam, probasse mihi videor § 101 *ἀφελὼν* exstirpandum, § 102 vero a manu oratoris ipsa profectam esse atque eam artis inopiam et de verbis securitatem quae hoc loco indagatur et vituperatur, scriptori esse propriam. —

Atque similis in struendis verbis neglegentia et artificiosae verborum singulorum responsionis, qualem in Demosthenis orationibus admiramur, inopia aliis quoque locis conspicua est. — veluti orator § 189 in digressione, qua veteres populi principes cum adversario comparat, quid hic contra dicturus sit, praeoccupans (— quaestio de huius paragraphi aetate nihil ad rem facit —) haec dicit: *ὥσπερ ὑμᾶς ἀγνοοῦντας ὅτι τοῖς μὲν πύκταις ἐστὶν ὁ ἀγὼν πρὸς ἀλλήλους, τοῖς δ' ἀξιοῦσι στεφανοῦσθαι πρὸς αὐτὴν τὴν ἀρετήν, ἧς* (*καὶ* add. agm) *ἕνεκα στεφανοῦνται.* in quibus verba quae sunt *ἧς ἕνεκα στεφανοῦνται*, reliquae orationi repugnare videntur. nam quoniam victoria nondum adest, sed certamen ipsum, talia expectantur: *ἧς ἕνεκα στεφανοῦσθαι ἀξιοῦσι.* sed Weidner, qui totum enuntiatum expungit, tamen sententiam probabilem non restituit, quod „non cum omni virtute sed cum ea, cuius ergo honorem tulerunt . . ., comparari volunt“ hi homines, ut idem vir doctus recte dicit. ergo talia verba, quibus singulae virtutes significentur, addantur necesse est. neque modo ineptias argumentationis huius initio patefactas effugiemus, sed etiam ea, quae requiruntur, habebimus, si hanc sententiam: *ἧς ἕνεκα στεφανοῦνται* non ad eosdem homines certos, ad

quos sententiam priorem referendam, sed quasi in universum dictam esse putamus: de ipsa virtute (sc. certamen est), propter quamcumque forte coronantur („man bekränzt wird“), i. e. propter quamcumque forte coronatio fit. orator ergo enuntiatorum subiectum quod vocatur variavit. quae sententia adeo confirmatur exemplo luculentissimo. in sexto enim epilogo (§ 243) Aeschines Ctesiphontem cum sic alloquitur: *ἐπερώτησον δὴ τοὺς δικαστὰς, εἰ ἐγίγνωσκον Χαβρίαν καὶ Ἰφικράτην καὶ Τιμόθεον, καὶ πυθοῦ παρ' αὐτῶν, διὰ τί τὰς δωρεὰς αὐτοῖς ἔδοσαν καὶ τὰς εἰκόνας ἔστησαν*, orationem conformavit, quasi in enuntiato interrogativo eidem *δικασταί* atque antea subintellegendi essent. quod res ipsa vetat, quoniam ei iudices, qui de hac lite iudicium tulerunt, Chabriam, Iphicratem, Timotheum non coronaverunt. ut hic quoque subiectum universum necesse sit statuatur. —

Et ne inaequabiles quidem orationes orator evitat, quippe qui omnino „ab artificiosae concinnitatis studio quam maxime sit alienus“. § enim 204 extr. haec in codicibus exarata invenimus: *ταῦτα δ' εἰπὼν μικρὰ μὲν περὶ τῶν ἰδίων εἶπον, τὰ δὲ πλεῖστα περὶ τῶν δημοσίων ἀδικημάτων λέγω.* quae ita displicuerunt Reiskio (in ed.), ut orationem sic fluere mallet: *ταῦτα δ' εἰπὼν μικρὰ μὲν περὶ τῶν ἰδίων εἶπον τὰ δὲ πλεῖστα περὶ τῶν δημοσίων, ἀδικημάτων λέγω.* ab eadem offensa profectus, sed alia via progressus fortiore remedio utitur Weidner vocem *ἀδικημάτων* expungens, quae „tolerari non possit, quod simul revocanda esset ad *περὶ τῶν ἰδίων*, quasi publica et domestica facinora distinguerentur“. sed neutra sententia veritatis speciem prae se fert. nam verba si seiungimus ut J. J. Reiske vult, vereor ne nemo, qui audit loquentem, intellegat ad *δημοσίων* verba: *ἀδικημάτων λέγω* explicandi gratia adiecta esse. et ne Weidner quidem sententiam probabilem statuit. — nam si codicum auctoritatem sequimur, duas plenas atque integras sententias: *μικρὰ — εἶπον, τὰ δὲ πλεῖστα — λέγω* habemus. ut qui audiverunt prius enun-

tiatum, hoc altero suppleri ne expectent quidem. quomodo ergo vocabulum *ἀδικημάτων*, quod in posteriore enuntiato legitur, in priore ex omnibus partibus absoluto subaudiri potest? imo concinnitate neglecta illis prioribus „*τὰ ἴδια*, i. e. vita privata“ ea opponuntur, quae publice gessit Demosthenes et quae orator noster proprio nomine *δημόσια ἀδικήματα* appellat. neque etiamsi prius enuntiatum integram sententiam non exhiberet, aliter interpretari liceret, quia ne a tanta quidem neglegentia abhorreret hic scriptor, qui vel talia scripsit § 19: *οὐ τοίνυν μόνοι οἱ τριήραρχοι ἀλλὰ καὶ τὰ μέγιστα τῶν ἐν τῇ πόλει συνεδρίων ὑπὸ τὴν τῶν δικαστηρίων ἔρχεται ψῆφον.* quae verba si sequimur, oratorem sic distinguere adducimur, ut dicat non solum publica consilia minus gravia, *τοὺς τριηράρχους*, sed etiam gravissima horum rationi reddendae esse obnoxia. neque tamen Aeschines hoc dicere vult, quoniam trierarchi omnino non sunt „synedria“ vel „consilia“. immo hanc simplicem sententiam pronuntiat: non solum trierarchi vestro suffragio subiecti sunt, sed etiam consilia publica, vel maxima, ut senatus et Areopagitarum consilium. — quae si ita sunt, Weidner cum § 203 (ed. III Berol.) *τῶν ἀδικημάτων* verba grammaticorum sedulitati adscribit, quantum absit a veritate, simul apparet. —

Iamque oratorem nostrum in verborum collocatione quoque suam quandam ipsius consuetudinem atque neglegentiam sequi nemo opinor mirabitur. cuius dicendi generis, quod latissime patet in Aeschinis orationibus, tria exempla afferam, quae viris doctis, qui me iudice falso scriptoris mentem interpretati sunt, sine iusta causa moras creaverint. quorum primum legitur § 27. orator Demosthenem eo anno, quo Ctesipho rogationem tulerat, teichopoeiae munere revera functum esse demonstraturus, tamquam documentum ipsum huius anni psephisma affert, quo Demosthenes *ἐπέταξεν . . . ἑκάστης τῶν φυλῶν ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων ἐπὶ τὰ τείχη καὶ ταμίας.* quae verba ut ad probabilem sententiam

revocarent. varias vias inierunt viri docti. nam quia „praepositio *ἐπί* nihil omnino habet quo referatur", J. J. Reiske (ed.) ille quidem, vir doctissimus, *ἐπὶ τὰ τείχη* abesse mavult, Weidner (com. ed. Lips. ad h. l.) vero praepositione *ἐπί* mutata in *περί* atque correctione ipsa postea adeo correcta *τῶν* articulo post *τῶν ἔργων* adiecto sic scribi iubet: *τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων τῶν περὶ τὰ τείχη καὶ ταμίας.* at exempla Demosthenica cum alia (cf. Westermann ad Dem. XVIII 288) tum haec: *οἱ ὑπὸ τοῦ δήμου τόθ' αἱρεθέντες ἐπὶ τὰς ταφάς* = *ἐπὶ τὴν τῶν ταφῶν παρασκευήν* (or. XVIII 288), aut *τῆς πρεσβείας τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους* = legationis ad iura iuranda excipienda missae (cf. Dem. IV 26; Plato Men. 90. Krueg. gr. gr. § 68, 42, 3) si comparamus, oratorem *ἑλέσθαι ἐπὶ τὰ τείχη* i. e. *ἑλέσθαι ἐπὶ τὴν τῶν τειχῶν κατασκευήν* coniunxisse facile adducimur. neque talis dicendi generis exemplum Aeschineum deest. verba enim ea, quae § 59 leguntur: *καθεζώμεθα ἐπὶ τοὺς λογισμούς* et consimili ratione dicta sunt neque cum Dobraeo (l. l. p. 339) ob malam eiusdem vocis repetitionem (de qua dicam ad § 78) eici debent. contorta vero verborum collocatio: *ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων ἐπὶ τὰ τείχη καὶ ταμίας*, pro qua simpliciorem: *ἑλέσθαι ἐπὶ τὰ τείχη τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων καὶ ταμίας* expectaveris, adeo non huius scriptoris mori repugnat, ut exemplis permultis comprobetur. nihil enim usitatius est in Aeschine quam verba consocianda separari. cf. § 8 *τῶν ὅρκων οὓς ὠμόσατε μεμνημένοι καὶ τῶν νόμων;* ibid. *καὶ παράνομα γεγραφότα καὶ ψευδῆ καὶ ἀσύμφορα τῇ πόλει;* ibid. *ὑμῖν αὐτοῖς ψηφιεῖσθε καὶ πάσῃ τῇ πόλει*, 56 *ἐγώ τε ἀποκρίνωμαι* (sic enim scribendum esse facili negotio demonstrari potest) *ἐναντίον σοι τῶν δικαστῶν, Δημόσθενες, καὶ τῶν πολιτῶν κτλ.*, 91 *Δημοσθένει δ' ἀργύριον καὶ τοῖς περὶ αὐτόν.* — atque ex his et aliis similis generis exemplis, quae nunc praetermitto, eiusdem § 27 verba *καὶ δικαστηρίων ἡγεμονίας ἐλάμβανε* quae delentur a Weidnero, nisi aliunde

probabile fit, pro insiticiis ob verborum collocationem minime habenda esse sine dubio efficitur. quod vero ille vir doctus „nec pluralem nominis *ἡγεμονίας* nec verbi imperfectum commode explicari posse" arbitratus est, valde erravit. nam quod et de numero et de tempore dicit, nonne hoc idem in antecedentia verba: *καὶ τὰ δημόσια χρήματα διεχείριζε καὶ ἐπιβολὰς ἐπέβαλλε* cadit? nam quoniam magistratuum officia singula enumerat, orator iterationem designaturus imperfecto utitur; pluralem vero numerum *ἡγεμονίας δικαστηρίων*, quod singula iudicia singulis *ἐπιβολαῖς* voluit respondere, consulto posuit. quicumque enim multam impositam solvere recusabat, in iudicium erat vocandus, ut quod nolebat facere cogeretur. unde officiorum ne hunc quidem ordinem: *ἐπιβολὰς ἐπέβαλλε καὶ δικαστηρίων ἡγεμονίας ἐλάμβανε* ullam vituperationem subire simul elucet. accedit quod oratori, siquidem singula enumerat officia, gravissimum munus et proprium (cf. Lys. Nicomach. 3) omittere ne licuit quidem. —

Verum haec duo exempla cum inter se consimilia sint, tertium rationem paullo diversam sequitur. tamen liceat mihi hic adicere. agitur de § 117 verbis hisce quam vehementissime addubitatis: *ἀρχομένου δέ μου λέγειν καὶ προθυμότερόν πως εἰσεληλυθότος εἰς τὸ συνέδριον τῶν ἄλλων πυλαγόρων μεθεστηκότων* (*καθεστηκότων* hl) *ἀναβοήσας τις τῶν Ἀμφισσέων . . . ἔφη κτλ.* enarrat Aeschines haec de se ipso. nam quamquam pylagorae munere fungebatur, ab hieromnemone gravi morbo affecto atque impedito in Amphictyonum consilium missus erat, postquam Atheniensium legati contionem haberi paene sero certiores facti sunt. tantum de re. verba vero ipsa sic ut exscripsi utque in codicibus exarantur, apte et commode explicari posse desperarunt omnes viri docti, qui iudicium de hoc loco tulerunt, atque uno eodemque errore omnes ad unum ducti et occaecati variis rationibus corruptelae mederi conati sunt. et Franke quidem, quocum facit Schultz (in ed.) neque Bremi (in ed.) multum discrepat, nisi

quod vi adhibita *μεθεστηκότων* aliter et perperam interpretatur, „*εἰσεληλυθότος* corruptum, *εἰς τὸ συνέδριον* interpolatum“ iudicavit (ed. Lips. a. 1883 praef. p. XXII) et haec verbis inesse posuit („De decretis Amphictyonum“ Lips. 1844 p. 32 Weidnero teste): „dum dicere ordior et nescio quo pacto paulo vehementius orationem ingredior cum ceteri pylagorae secessissent“. Hamaker (l. l. p. 11) deinde ceteros pylagoras, quum maxime unus ex eorum numero verba ad eos faceret, curiam reliquisse (*μεθεστηκότων*) quoniam incredibile sit, *σεσιγηκότων* corrigit ex *μεθεστηκότων* correctione minime probabili. Weidner denique prius quidem verbis ipsis non expeditis sententiam in hunc modum (com. ed. Lips. ad h. l.) adumbravit: „primum apud Amphictyonas ubi convenerant verba facere coeperat Aeschines. inde discesserunt in secretum consilium (*εἰσελθεῖν εἰς τὸ συνέδριον*). ibi cum ceteri oratores discessissent (ad sua quisque subsellia?), antequam de iure caerimoniarum agi coeptum esset, Amphissensis quidam prodiit atque Atheniensium legatos arceri voluit“. nunc vero difficultatibus intra sex annorum spatium auctis quae ratio verbis *ἀρχομένου δέ μου λέγειν* cum eis, quae sequuntur: *εἰσεληλυθότος εἰς τὸ συνέδριον* intercederet, ex tenebris adhuc non erutum esse contendit (ed. III Berol.). exposui virorum doctorum sententias. iamque quid ipse iudicem, liceat mihi proponere. atque varias suas de hoc loco sententias ut statuerent, viri docti eo potissimum errore adducti esse videntur, in quem quamquam reliquam orationem non edocuit quomodo expediret, Blass (Burs. jahresberichte 1880 p. 205) quoque incidit, quod ad unum omnes *προθυμότερόν πως* ad sequentia verba pertinere iudicarunt. quae verba e contrario nullus dubito contendere ab oratore ad priora adici. hoc enim scriptor me iudice dicit: „Cum vero orare inciperem atque vehementius quidem et studiosius, quod nimirum in consilium intraveram tum, cum ceteri pylagorae iam secesserant“. verbis *εἰσεληλυθότος εἰς τὸ συνέδριον τῶν ἄλλων πυλαγόρων μεθ-*

εστηκότων ergo exiguum temporis spatium designatur, quod Aeschini oraturo erat relictum quodque in causa fuit, cur adeo „*προθυμότερόν πως*“, cum et ipse „*προῃρημένος*“ esset, pro Atheniensibus orare inciperet. atque *μεθεστηκότων*, ut hoc addam, sua propria abeundi notione hic adhibitum esse ex eis verbis, quae orator de se ipso § 122 profert: *ἐπειδή ποτε ἀπηλλάγην καὶ μετέστην ἐκ τοῦ συνεδρίου* (cf. 129 *καὶ τοὺς μὲν ἐναγεῖς καὶ τῶν πεπραγμένων αἰτίους μετέστησαν*), necessario efficitur. in eandem sententiam abiit Blass, qui hoc quoque recte statuit, cum Aeschines pylagorarum, quos suffragium non ferre notum est, contione dimissa intrasset, hieromnemones solos consilium habuisse. sero ergo Aeschines, tum sc. cum ei, ut pylagorae, orare non iam licebat, loqui coepit. quae sententia adeo confirmatur § 115 et imprimis § 122 antea citata, ubi orator ob eam causam, quod solus ex pylagoris aderat, de se solo loquitur. denique ne quis in oratione offendat, a particula *καί* explicandi notionem non esse alienam exempla docent Xenophontea: veluti Anab. VI 4 35; V 2 25; I 5 8. et ne verborum collocatio quidem moras creabit ei, qui hoc exemplum Aeschineum (§ 27) comparaverit: *καὶ ἐπέταξεν* (Demosthenes) *ἐν τῷ ψηφίσματι ἑκάστης τῶν φυλῶν ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων ἐπὶ τὰ τείχη καὶ ταμίας καὶ μάλα ὀρθῶς, ἵν' ἡ πόλις ἔχοι ὑπεύθυνα σώματα.* sed haec hactenus. —

Denique unum ex eis, quae accuratius persequi animum induxi, proprium huius scriptoris genus dicendi restat. quod cum non ut debebant perscrutarentur, viri docti sat multis locis verba genuina resecuerunt oratorique nocuerunt. — atque disserendi initium capiam a § 78. vulgo adhuc editores codicum lectione servata scripserunt: *ὁ γὰρ μισότεκνος καὶ πονηρὸς πατὴρ οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημαγωγὸς χρηστός, οὐδὲ ὁ τὰ φίλτατα καὶ οἰκειότατα σώματα μὴ στέργων οὐδέποτ' ἂν ὑμᾶς περὶ πολλοῦ* (A, *πλείονος* B; cf. Adam l. l. p. 39) *ποιήσαιτο τοὺς ἀλλοτρίους, οὐδέ γε ὁ ἰδίᾳ πο-*

νηρὸς οὐκ ἂν γένοιτο δημοσίᾳ χρηστός, οὐδ' ὅστις ἐστὶν οἴκοι φαῦλος οὐδέποτ' ἦν ἐν Μακεδονίᾳ καλὸς κἀγαθός. novissimus vero orationum editor enuntiatum, quod tertio loco habetur, abesse mavult. at non intellexisse videtur v. d. quatuor has sententias inter se sic esse conexas, ut primae respondeat tertia, quarta vero alteri. primo enim membro et tertio sententia universa cum statuatur, altero et quarto exempla adiciuntur, in quibus vitia illa conspicua sunt. neque porro primo enuntiato et tertio idem continetur. nam idem sane praedicatur: *ὁ . . . πονηρὸς οὐκ ἂν γένοιτο . . . χρηστός*, sed prius de demagogo, postea de cive. ad quam diversitatem exempla quoque bene adaptata sunt. neque verba *πονηρός* et *χρησιός* iterari alienum aut indignum videtur huius oratoris eloquentia, qui vel talia scripsit, qualia huius or. §§ 200, 201, 202 leguntur; cf. § 147 (*ἀγανακτεῖ*), 136 (*πολιτείαν*), Tim. 54 (*ἄνθρωπος δημόσιος οἰκέτης τῆς πόλεως*), ibid. 51 et 52 extrr., 32 (*τοῖς ἀκούουσι*). cf. praeterea quae dixi ad § 59. — haec vero ratio, quae, si scriptoris mentem recte interpretor, inter has sententias intercedit, oratione ipsa accurate ut debebat non exprimitur. namque orator sententias, quasi essent eiusdem generis, simpliciter iuxta ponere maluit, quam alteram et quartam per particulam *γάρ* vel *ἐπεί* primae subiungere et tertiae, id quod certe praestabilius erat et aptius. atque vel in hac re artis quaedam inopia et neglegentia comparet, quae ex proprio Aeschinis more nascitur quaeque aliis quoque similibus exemplis agnoscitur, in quibus viri docti oratoris more, quo *παρατακτικῶς*, non *ὑποτακτικῶς* sententias coniungit, non satis perspecto iniuria offenderunt. —

Quam sententiam ut evincam, primum, ne repetam quae iam dicta sunt, admoneo ea, quae p. 20 de § 19 verbis: *πάλιν τοὺς τριηράρχους* usque ad *ἀνηλωκότας φιλοτιμίαν* exposui. et de sententiarum conexu nunc addo Schmidtium, qui alterum *δέ* post *ἀποδιδόντας* expungit, quia orator hoc velit dicere: „non faciunt trierarchi more Demosthenis, ut

addere sese de suo dicant, cum vestra vobis reddunt", refutari § 78 exemplo non minus quam eis, de quibus disserere iam aggredior. —

Atque § 210 Aeschines appellat Demosthenem his verbis: *ὅλως δὲ τί τὰ δάκρυα; τίς ἡ κραυγή; τίς ὁ τόνος τῆς φωνῆς; οὐχ ὁ μὲν τὴν γραφὴν φεύγων ἐστὶ Κτησιφῶν, ὁ δ' ἀγὼν οὐκ ἀτίμητος σὺ δ' οὔτε περὶ τοῦ σώματος οὔτε περὶ τῆς οὐσίας οὔτε περὶ τῆς ἐπιτιμίας ἀγωνίζει*; in quibus verba, quae interpretis curam poscunt: *ὁ δ' ἀγὼν οὐκ ἀτίμητος*, primo obtutu ita se habent, ut Weidner (com. ed. Lips. ad h. l.) rem acu tetigisse videatur, qui ea expungit, „quod nihil nisi contrarium (veritati sc.) significare possunt, causae illius aestimationem nullam iudicibus permissam fuisse". et ne sic quidem, ut „interrogativum *οὐχ* ante *ὁ μέν* positum ad *ὁ δέ* animo suppleamus" — id quod tamen Weidner fieri posse negat iniuria ut videtur — quidquam proficimus, quia tum verba rei ipsi, sed non scriptoris sensui parent. nam talibus verbis orator, qui Demostheni, cur maereat, nihil esse in causa docere studet, suum ipse consilium perverteret. — neque tamen verba esse insiticia cum Weidnero crediderim; imo ea genuinam originem habere sat certis argumentis demonstrari posse confido. atque omisso paullisper enuntiato addubitato sententiae duae, quae restant, inter se sic nexae sunt, ut altera ea, quae ex priore consequuntur atque concluduntur, contineantur. patet ergo orationis bipertitae membra quamquam, ut paria, ab oratore per *μέν* et *δέ* coniuncta, tamen inter se disparia esse et prius solum interrogationem continere. hoc si tenemus, verba interposita *ὁ δ' ἀγὼν οὐκ ἀτίμητος* non ad interrogationem ipsam, sed ad alteram orationis partem (consecutivam ut ita dicam) pertinere manifestum est. haec ergo iterum bipartitur. denique talem sententiarum conexum esse puto: *τίς ὁ τόνος τῆς φωνῆς; οὐχ ὁ τὴν γραφὴν φεύγων ἐστὶ Κτησιφῶν; ὥστε ὁ μὲν ἀγὼν οὐκ ἀτίμητός ἐστι, σὺ δ' οὔτε περὶ τοῦ σώματος οὔτε περὶ τῆς οὐσίας*

οὔτε περὶ τῆς ἐπιτιμίας ἀγωνίζει. alterius vero orationis partis membra item inter se nexa sunt atque verba quae § 26 leguntur: *ἐκεῖνο ὑμῖν ἐνδείξασθαι βούλομαι ὅτι ὁ μὲν νομοθέτης . . . οὐκ ἐᾷ . . ., ὁ δὲ Κτησιφῶν . . . οὐκ ὤκνησε γράψαι στεφανῶσαι.* et orator in verbis *ὁ δ' ἀγὼν οὐκ ἀτίμητος* particulam *μέν* ad sequentia spectantem cur omiserit, ex totius orationis forma elucescit. — ceterum hic addo similiter verba, quae § 114 scripta inveniuntur: *ἢ ἀνδρὸς ἰδιώτου ἢ δυνάστου ἢ πόλεως δημοκρατουμένης*, ab Hamakero (l. l. p. 10 sq.) in hunc modum: *ἢ ἀνδρὸς ἰδιώτου ἢ πόλεως* iniuria correcta, dispari distinctione inter se esse seiungenda, ut primo membro duo sequentia una opponantur. eandemque ob causam id quod est „*δημοκρατουμένης*“, quia pertinet ad *δυνάστου*, non ad *ἀνδρὸς ἰδιώτου* (ut § 158), necessario requiritur. conferatur ceterum Adam, qui l. l. p. 14 de hoc loco disserit. —

Simili parataxi simpliciore quam laudabiliore orator utitur, cum § 164 talia dicit: *ἀλλ' ἐπειδὴ . . . ὁ (δ') Ἀλέξανδρος ἦν ἀπειλημμένος ἐν Κιλικίᾳ πάντων ἐνδεὴς . . ., τὴν δὲ σὴν ἀηδίαν ἡ πόλις οὐκ ἐχώρει καὶ τὰς ἐπιστολὰς ἃς ἐξηρτημένος ἐκ τῶν δακτύλων περιῄεις ἐπιδεικνύων τισὶ τὸ ἐμὸν πρόσωπον ὡς ἐκπεπληγμένου καὶ ἀθυμοῦντος . . ., οὐδ' ἐνταῦθα ἔπραξας οὐδέν κτλ.* at ne verba remanerent indubitata, Halm (l. l. p. 12 n. 12) delevit *ἅς*, quia talibus: „*ἡ πόλις οὐκ ἐχώρει . . . τὰς ἐπιστολάς* = die stadt war nicht gross genug für die briefe mit denen du herumgingst“ quid esset perversius, cogitari nequiret. quod concedo. sed tamen has ineptias, quas sibi finxit v. d., codices illi quidem non produnt. nam quid? nonne erat Halmii, cum duo esse statueret, quae verbo *ἐχώρει* regerentur, *τὴν σὴν ἀηδίαν* sc. et *τὰς ἐπιστολάς*, quomodo particula *καί* ante *τὰς ἐπιστολάς* explicari aut posset aut deberet, demonstrare? nam quoniam antecedit *οὐκ ἐχώρει*, subsequi *οὐδὲ τὰς ἐπιστολάς*, non *καὶ τὰς ἐπιστολάς* secundum Graecum sermonem expectamus. con-

cidit ergo Halmii ratiocinatio et verbis *καὶ τὰς ἐπιστολάς*, quamquam ad priora adseruntur, novum aliquid atque alterum significari non posse simul apparet. iam qua tandem in re nostro quidem oratore iudice conspicua fuerit Demosthenis iactatio, si quaerimus, nihil aliud nisi ipsae epistolae, ni fallor, subintellegitur. explicandi ergo gratia '*τὰς ἐπιστολάς*' simpliciter per particulam *καί* adnectitur ad *τὴν ἀηδίαν*. ut lingua vernacula sic reddere sententiam liceat: „als die stadt schon nicht mehr raum genug hatte für deine prahlerei mit den briefen“. quae si ita sunt, codicum lectionem probabimus, praesertim cum quae Halm ipse coniectando assecutus est, displiceant. relativo enim pronomine eiecto articulus *τάς* ante *ἐπιστολάς* non perspicuum est quo pertineat. id quod Weidner sensit eamque ob causam scripsit *τινάς* pro *ἅς*, neque tamen verba ad probabilem revocavit orationem. immo a vera scriptoris sententia valde aberravit. — neque viri docti ad tales coniecturas deducti essent, si quae proprie dicta sunt, accurata diligentia observassent. neque unquam, talia cum occurrunt, si delendi aut coniectandi, non interpretandi studio indulgebimus, eo perveniemus, ut totam scriptoris naturam atque artem perspiciamus. —

Quod verum esse ipse Halm luculentissime docet, quoniam ne consimili quidem huic quem modo tractavi loco propriam oratoris consuetudinem ut agnosceret commotus est. § enim 173 verba: *ἄπιστος δὲ καὶ περὶ ταῦτα δόξας εἶναι καὶ τοὺς λόγους ἐκφέρων τοῖς ἀντιδίκοις ἀνεπήδησεν ἐπὶ τὸ βῆμα* non sic, ut ex codicibus exscripsi, sed deleta particula *καί* ante *τοὺς λόγους* recte stare iudicavit. equidem exemplo imprimis § 164 collato verbis *καὶ τοὺς λόγους ἐκφέρων* nihil novi afferri, sed id ipsum, quo Demosthenes fide indignus (*ἄπιστος*) apparet, contineri persuasum habeo. accedit quod verba ab Halmio restituta in probabilem sententiam coire non videntur: cur tandem Demosthenes, si revera orationes cum adversariis communicavit (*ἐκφέρων*), fide indignus visus esse,

non revera fuisse ab oratore dicitur? immo orator haec dicere vult: suspicabantur homines eum orationes pro clientibus scriptas communicare cum adversariis ideoque esse fide indignum. —

Addo alium locum, quo hoc idem parataxeos vituperandae genus invenisse ratus Halm sua correctione utitur. § enim 52 haec de Demosthene orator noster: *τί γὰρ δεῖ νῦν ταῦτα λέγειν . . . ἢ τὰ περὶ τὴν Κηφισοδότου στρατηγίαν καὶ τὸν τῶν νεῶν ἔκπλουν τὸν εἰς Ἑλλήσποντον ὅτε εἷς ὢν τῶν τριηράρχων καὶ περιάγων τὸν στρατηγὸν καὶ συσσιτῶν καὶ συνθύων καὶ συσπένδων καὶ τούτων ἀξιωθεὶς διὰ τὸ πατρικὸς αὐτῷ φίλος εἶναι οὐκ ὤκνησεν ἀπ' εἰσαγγελίας αὐτοῦ κρινομένου περὶ θανάτου κατήγορος γενέσθαι.* atque Halm (l. l. p. 12 n. 12) *καί* particula ante *τοιούτων ἀξιωθείς* deleta alterum *ἀξιωθείς* prioribus *περιάγων — συσσιτῶν — συνθύων — συσπένδων* subiungi iubet non solum sententiarum sed etiam temporum diversitate motus. nos vero e contrario talem dicendi simplicitatem atque artis inopiam incorrupta esse verba docere exemplis antea prolatis adduceremur. sed v. d. omnino scriptoris verba perperam interpretatus est. nam ut mittam non accidisse ex scriptoris libidine, ut tempora diversa ponerentur, quia praesentibus illis testimonia saepius observata, hoc aoristo amicitiae origo indicantur, duo exprobrantur ab oratore, quae Demosthenem a proditione arcere debuerint. non enim solum ipse Cephisodoto familiariter utebatur, sed patres iam amicitia coniuncti erant. verba ergo *καὶ τούτων ἀξιωθείς* non ipsa integram sententiam exhibent, sed idonea videbantur quibus altera causa gravissima (*τὸ πατρικὸς αὐτῷ φίλος εἶναι*) priori adnecteretur. —

Iam de hoc genere disputandi finem faciam, postquam quae verba § 172 leguntur: *οὗτος προδοὺς τοῖς πολεμίοις Νύμφαιον τὸ ἐν Πόντῳ, τότε τῆς πόλεως ἐχούσης τὸ χωρίον τοῦτο, φυγὰς ἀπ' εἰσαγγελίας* (*ἀπ' εἰσ.* om. B) *ἐκ τῆς πόλεως ἐγένετο θανάτου* (*θανάτῳ* e) *καταγνωσθέντος αὐτοῦ*

τὴν κρίσιν οὐχ ὑπομείνας καὶ ἀφικνεῖται εἰς Βόσπορον, in quem modum interpretanda censeam, docuero. non enim sine causa aliqua verba quae sunt *θανάτου καταγνωσθέντος αὐτοῦ*, quippe quae velis remisque repugnare viderentur eis, quae subsequuntur: *τὴν κρίσιν οὐχ ὑπομείνας*, a viris doctis in dubitationem vocata sunt. atque Bakius quidem (l. l. p. 328sq.) et Weidner (v. tamen ed. Lips. adn. crit. ad h. l.) verba *θανάτου καταγνωσθέντος αὐτοῦ* cum exstirpant, ipsam offensionis ansam amovisse videntur. neque tamen verba addubitata aut spuria aut aliqua parte depravata esse mihi persuaserunt. eam enim scriptoris neglegentiam, quam per complura exempla modo persecutus sum, culpandam esse censeo. sed videamus singula. orator § 169 sqq. quinque popularis viri indicia postquam enumeravit, § 171 sq. primum et alterum in Demosthene num agnosci possint, perscrutatur sic quidem, ut eius maiores nec liberos fuisse nec profuisse reipublicae, uno eodemque adversarii avo usus demonstret. duas ergo miscet res, quarum quae in dispositione § 169 priore loco ponitur, in Gylonis exemplo ad inferiorem aetatem quam altera spectat. potuit enim orator, si temporum solorum rationem habuisset, sic enarrare: Gylon quod Nymphaeum hostibus tradiderat, capite damnatus est (haec spectant ad alterum popularis hominis indicium). sed iudicium ipsum non expectaverat, sed antea fugerat in Asiam, ubi Scythicam mulierem in matrimonium duxit; atque filiam, quam cum ea genuit, Demostheni patri dedit (haec ad primum indicium pertinent). sed ne dispositionis ordinem pervertat, nimirum a Gylonis fuga initium capit et ea, quae antecedunt hanc fugam quaeque spectant ad alteram dispositionis partem, ut potest, inserit. ergo et *θανάτου καταγνωσθέντος αὐτοῦ* et *τὴν κρίσιν οὐχ ὑπομείνας* requiruntur necessario, illa quidem, quia Gylon tum demum, cum condemnatus est, revera proditionis coargutus est, haec vero, quod idem vir capitis condemnatus tamen in Asia Scythicam uxorem uti duceret quomodo fieri

potuerit, necesse est explicetur. sane Aeschines orationem conformavit talem, quasi Gylon „iudicium non expectasset, postquam mortis damnatus est". sed praeterquam quod in hac re huius scriptoris neglegentia agnoscitur, non tam temporum quam sententiarum rationes puto respiciendas esse, quia quae haud magna arte quasi paria iuxta ponuntur, ad diversas res spectant. orator enim mea sententia haec dicit: Gylon proditione facta *ἀπ' εἰσαγγελίας* ex urbe fugae se dedit, ille quidem, ut ex sententia, qua morte damnatur, apparet, proditionis revera coargutus, sed qui iudicium omnino non expectaverat. quae si ita sunt, cur horum membrorum alterumutrum expungamus, nihil est in causa. —

Iam orator, quod obiter et in transcursu et in alius rei contextu Demosthenis avum proditorem fuisse demonstravit, ob eam causam extr. § 172 ad verba: *οὐκοῦν ἀπὸ μὲν τοῦ πάππου πολέμιος ἂν εἴη τῷ δήμῳ* adicit: *θάνατον γὰρ αὐτοῦ τῶν προγόνων κατέγνωτε.* hoc enim iterum commemorat, ut duo esse, quae adhuc demonstraverit, iudices moneat. in hoc vero enuntiato verba *τῶν προγόνων*, quae mire dicta videntur, quoniam non Demosthenis proavi, sed avus maternus solus capitis damnatus est, ab Hamakero (l. l. p. 14) delentur, cuius in verba Weidner iurat. at pro talibus: *θάνατον γὰρ αὐτοῦ κατέγνωτε*, quoniam duo viri in enuntiato priore nominantur, potius expectari: *θάνατον γὰρ ἐκείνου κατέγνωτε* ut mittam, oratorem, etsi plurali numero *τῶν προγόνων* utitur, tamen solum avum maternum intellegi velle confidentissime contendo. ductus enim suo proprio amplificandi atque calumniandi studio, cuius nonnulla exempla antea me contulisse velim memineris, orator *τῶν προγόνων* ponere maluit, ut Demosthenem ipsum rectius atque acrius tangeret, quasi ex maioribus patriae hostilibus nisi hostis nasci non posset: maiorum series si affertur, qualis sit ipsius Demosthenis natura, rectius concludi videtur — nostri scriptoris mente — quam si solus avus ponitur. ceterum quod hic alio consilio facit

orator, nimirum ut pluralem numerum ponat pro singulari, hoc aliis quoque exemplis comprobatur. veluti § 28 haec dicit: *μικρὰ δ' ὑμῖν ὑπὲρ αὐτῶν* (sc. *τῶν νόμων*) *προειπεῖν βούλομαι*, quamquam haec proxime antecedunt: *ὁ δέ γε νόμος βραχὺν καὶ σαφῆ καὶ ταχὺ λύοντα* (sc. *λόγον ποιεῖται.* sequor codicem A[h], non ut Weidner codicem B) *τὰς τούτων τέχνας;* aut § 9 *περὶ δ' αὐτῶν τῶν νόμων οἳ κεῖνται περὶ τῶν ὑπευθύνων, παρ' οὓς τὸ ψήφισμα κτλ.*, quamquam nonnisi unam legem intellegendam esse § 11 docet. et ne a latino quidem sermone hoc dicendi genus abhorret. veluti Vergilius ecl. VIII 11 sq. de hoc uno carmine dicit: accipe iussis Carmina coepta tuis, aut Catullus LXV 15 sq.: mitto Haec expressa tibi carmina Battiadae. —

Sed desinam de verbis insiticiis disserere. magnum autem quaestionis fructum cepisse mihi videbor, si genuina verba iniuria a viris doctis ab Aeschine abiudicata etsi non omnibus locis, quos tractavi, at nonnullis tamen oratori recte restituisse iudicatus ero.

THESES.

1. Aeschines primam Ctesiphonteae orationis partem (§§ 1–31) Demosthenis defensione audita paragraphis 24—30 auxit. sic recte Kirchhoff. perperam de tota hac parte Fox et Guttmann iudicarunt.
2. Item or. Ctes. §§ 223—224 verba: *οὐ τὸ τελευταῖον εἰσαγγέλλεσθαι μέλλων — ποιήσασθαι τῆς ξενικῆς τραπέζης* iudicio peracto a scriptore inserta sunt.
3. Or. Ctes. §§ 13—16 et 17—23 ordo non mutandus est (aliter Kaibel).
4. Or. Ctes. § 159 lacuna non extat. sic enim verba inter se conectuntur: *ἐκεῖνο ὑμᾶς ὑπομνῆσαι βούλομαι ὅτι Δημοσθένης οὐ τὴν ἀπὸ στρατοπέδου μόνον τάξιν ἔλιπεν ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ τῆς πόλεως* (sc. *τάξιν*), *τριήρη προσλαβὼν ὑμῶν, καὶ τοὺς Ἕλληνας ἠργυρολόγησε.*
5. Or. Tim. § 110 legendum esse censeo: *ἐπὶ τοίνυν τοῦ αὐτοῦ ἄρχοντος ὅτε ἐβούλευεν οὗτος, ταμίας δ'* (om. codd.) *ἦν τῶν τῆς θεοῦ Ἡγήσανδρος ὁ Κρωβύλου ἀδελφός, ἔκλεπτον* (*δὲ* add. codd.) *τῆς πόλεως κοινῇ καὶ μάλα φιλεταίρως χιλίας δραχμάς.*
6. Poetae Homerici *μάν* et *μέν*, non *μήν* scripserunt.
7. Stat. Silv. I 2 (Epithalam.) v. 13 sqq. sic legendum est:

   Ipsa toros et sacra parat caestuque Latino (cętuque Ca)
   Dissimulata deam crinem vultusque genasque
   Temperat atque nova gestit minor ire marita.
8. Vergilium condiscipulum Antonii et Octaviani apud Epidium rhetorem fuisse Suetonii et vitae Bernensis testimoniis non probatur.
9. Serv. comm. ad Verg. eclog. IX v. 10 sic scribendum est: Cum iussus [sis] tria milia passus a muro relinquere, ut octingentos passus aquae quae circumdata erat admetireris, reliquisti.

VITA.

Johannes Hermannus Robertus Tschiedel natus sum a. d. VIII Cal. Jul. a. 1864 in vico Alt-Warthau prope Bunzlaviam urbem sito patre Hermanno, matre Carolina e gente Engel, quos adhuc superstites esse gaudeo. fidei ascriptus sum evangelicae. primis literarum elementis imbutus inde ab a. 1874 in Mariae gymnasio regio Sedinensi et inde ab a. 1878 in gymnasio Stolpensi, quod floret Reuscheri, viri humanissimi, auspiciis, versatus sum, omnique hoc tempore praeceptores erga me benignos se praestiterunt. ex quibus honoris causa nomino Albertum Mohnike, virum praestantissimum, qui adeo in amicitiam me accepit. — Maturitatis testimonium adeptus a vere a. 1883 studiis philologis per novies sex menses vacavi, quorum bis sex Lipsiae, reliquos Berolini moratus sum. Lipsiae me docuerunt viri dd. hi: Brugman, Carolus Curtius, Lipsius, Masius, Ribbeck, Seydel, Voigt, Zarncke; Lipsius mihi benigne permisit, ut per sex menses proseminario philologo interessem. Berolini autem ab Adolfo Kirchhoff, viro illustrissimo, rectore in universitatis Fridericae Guilelmae civium numerum receptus scholas frequentavi virorum dd.: Deussen, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Huebner, Kirchhoff, Maass, Paulsen, Scherer †, Vahlen, Zeller. praeterea ad exercitationes philologas Maass et Diels, ad epigraphicas Kirchhoff aditum be-

nigne mihi permiserunt. seminarii vero philologi sodalis fui per quater sex menses. — omnibus quos enumeravi viris doctis, imprimis Kirchhoffio et Vahleno, gratias ago quam maximas semperque habebo. —

Societati academicae philologae Berolinensi inde ab a. 1884 interfui.